

VI
C.IC.
Philos.
c.com.
NORES.
1500









8

VI

CIC. Philos.

c. com. NORES

IN M. TVLLII CICERONIS VNIVERSAM PHILOSOPHIAM De Vita, et Moribus,

Ad Illustrissimos, & Sapientissimos Patauinæ Academiæ Moderatores,

Ioannem Donatum, Ioannem Superantium Equitem, Paulum Theupolum, pariter Equitem, & Dignissimum Diui Marci Procuratorem, Reip. Venetæ. Senatores Amplissimos.

Iasonis Denores Breuis, & Distincta Institutio,



Patauij, Apud Paulum Meietum,
M. D. LXXXI.

ILLVSTRISSIMIS, ET SAPIENTISS.
Patauinæ Academiæ Moderatoribus,

Ioanni Donato, Ioanni Superantio Equiti, Paulo Theupolo pariter Equiti, & digniss. D. Marci Procuratori, Amplissimis Reip. Venetæ Senatoribus.

Iason Denores S. P. D.

COgitanti mihi Illustrissimi, & sapientissimi Patauinæ Academiæ Moderatores, quonam bonarum literarum fato euenerit, ut, cum re liqua M. Tullij Ciceronis uolumina in mani bus studiosorum assidue uersentur, Vniuersa ta men eius philosophia de uita, & moribus, tam prudenter, & eleganter conscripta, à plerisque neglecta, ac penè destituta sit, hanc unam huius rei causam esse in mentem uenit; quod singulas eius partes sine aliqua animaduersione à prin cipio ea ratione percurrerent, ac si nullam con tinuationem, & seriem inter se habere omnino uiderentur. Hinc factum est, ut, quid in ea es set primum, quid medium, quid postremum, ne suspicari quidem possent; sed inanem etiam ope

12

ram ſumerent in legendo, ac denique ab huiuſmodi ſtudio deſperatione quadam adducti cógitationem, animumq; reuocarent. Vbi enim in hac, atque in illa ſcientia, & facultate percipienda ordo partium minus obſeruatur, nexus, et quaſi progreſſus librorum non animaduertitur, docendi uia, & ratio prætermittitur; nihil eſt, quod oblectet; nihil, quod interiorem ſenſum feriat; nihil, quod mentem excitet: nihil, tandem quod ad legitimam pertractationem rerum, uel præſtantisſimarum, de quibus in ijs agitur, præparet, atque inſtituat. Quamobrem cum aliqđ remedium huic incommodo, & difficultati adhibendum eſſe iudicarem, idque uiderem a nemine adhuc pertentatum, non inuitus huiuſmodi prouinciam ſum aggreſſus: & in ea, quantum in me fuit, diu multumque, elaboraui, ut ad perfectã huius præceptionis methodum conſequendam hæc diſperſa membra in unum quaſi corpus colligerem, integramque philoſophiae huius formam, atque effigiem ſuo ordine diſpoſitam hac mea inſtitutione his, qui ingenuarum diſciplinarum liberalibus doctrinis delectantur, ita conſpiciendam proponerem, ut, quem locum

singula obtineant , ex ea facile intelligerent. Quid hac in re præstiterim, aliorum sit iudicium: omnibus certe animi uiribus plurimum contendi, ut aliquod lumen legentibus præferrē. Volui autem hoc, quicquid id est, summa cura, & uigilijs in studiosorum gratiam a me susceptū, uestri nominis splendore in publicum prodire: ut ij uos nacti æquissimos rerum æstimatores, in uestra grauitate, integritateq; facile acquiescerent, et totam, quae extat M. Tullij philosophiam humanam, & ciuilē in posterum frequentius sibi euoluendā arbitrarentur. Hoc uero non est nostræ mediocritatis, Vestrae summae authoritatis est, Patres amplissimi, quibus & uirtus, & natura, et fortuna, & praeclarissima haec respublica tanta commoda, dignitatisq; ornamenta, tot, ac tanta laudis insignia tribuerunt, ut quocunque uestri iudicij approbatio accesserit, uestriq; nominis fulgor illuxerit, eò statim unusquisque, qui in literis aliquid esse uult, oculos conuertere debeat. Suscipite igitur desertum penè ab omnibus summi oratoris, summi philosophi, & summi, addam etiam, senatoris patrocinium: restituite in hanc

uestram, doctrinarum omnium sedem, ac domum, quasi ab exilio in patriam nobilissimam hanc philosophiæ partem, sapienter, & grauiter pertractatam, non ab aliquo, aut humanarum actionum penitus experte, qui priuatus uitam perpetuo in studijs traduxerit: aut in rebus agendis publice tam occupato, qui nullam omnino literis operam impenderit: sed a uiro & philosopho, & consulari, qui & rerum usum perfecte calluerit, & reliquum ætatis spatium in optimarum artium disciplinis peregerit. Vnde sperandum est, hanc omnem de uita recte instituenda philosophandi rationem a M. Tullio suis ciuibus ad eorum felicitatem disposite, ornate, & prudenter traditam, utilissimã quoque ijs futuram, quibus aliquando gubernacula huius Sanctissimae Reipublicae committenda sunt. Haec est actio digna huius Academiae Moderatoribus, digna uestra existimatione, digna uestra amplitudine. Huius muneris curam, prætérquã quod uobis, pro uestra sapientia, non iniucundam fore confido, me quoque ipsum, huius renouandæ, atque instaurãdae philosophiae quadam ex parte authorem, atq; adiutorem in ue-

ſtram fidem, tutelamq́ʒ ſuſceptum iri facile mihi perſuadeo, uariis profecto triſtisſimorum euẽtuum procellis undiq́ʒ iactatum, domo extorrẽ, cognatis, propinquis, amicis, fortuniſq́ʒ omnibus ſpoliatum; beneficiorum tamen ueſtrorum nunquam immemorem, communis utilitatis ſemper cupidisſimum, ueſtriq́ʒ in primis obſeruantisſimum. In me uero fouendo, & ex aduerſa nauigatione in portum quaſi recipiendo tanto erũt clariora ueſtræ benignitatis promerita: quanto turbulentiores fuerint tempeſtates, in quas me cum uxore, ac liberis, totaq́ʒ familia grauisſimi patriæ caſus compulerunt. Ego ex altera parte dabo operam diligenter, ut quidquid ad hanc meam ſolitudinem ſubleuandam contuleritis, id omne in hoc ſtudiorum genere cum ad communem omnium, tum maxime ad nobilisſimorum Huiuſce Reipublicæ adoleſcentium utilitatem collatum eſſe non uerbis, ſed re ipſa optime intelligatis.

Prima pars huius institutionis, tanquã proœmium, & præparatio quædam continet commẽdationem eius de uita, et moribus philosophiæ, q̃ M. Tullius prudenter, & elegãter conscripsit.
2. Veluti principium legitimæ pertractationis continet seriem, & continuationem librorum omnium, quibus idem M. Tullius uniuersam hanc philosophiam complexus est.
3. Continet, quæ obiici possent aduersus continuationem, quam nos attribuimus his M. Tullii libris; & responsionẽ, qua tollimus oẽm, q̃ ex rebus obiectis oriri poterat, dubitationem.
4. Continet comparationem singulorum librorum, quam habent cum libris Aristotelis, & Platonis, qui ad eandem philosophiam spectãt, et eorundem in alias particulas sub diuisionẽ.
5. Continet ea, quæ a uiris doctis præfationis loco adhiberi consueuerunt ante legitimum cuiusq; interpretationis ingressum, hoc est Finem, Materiam, Ordinem, Methodum, Inscriptionem, Utilitatem Vniuersæ huius philosophiæ.
6. Continet nonnullas tabulas, quibus Vniuersæ huius philosophiæ, forma, quasi in illustri posita monumẽto studiosis conspicienda proponitur.

IN VNIVERSAM M. TVLLII Ciceronis philosophiam de Vita, & Moribus

Iasonis Denores Breuis, & Distincta Institutio.

CVm omnia præcepta, quæ in uniuersum ad hanc, atque illam scientiam, & facultatem constituendam traduntur, ex grauissimorum philosophorum sententia a peritia rerũ singularum originem habeant, eorum scripta in docenda aliqua disciplina maxime semper probaui, qui præter rerum communium contemplationem res singulares pœnitus inspexerint: Neque enim ijs erit difficile, qui rerum usum optime calluerint, duce doctrina, ac methodo in præcepta uniuersalia, quæcunque cognouerint, distincte accommodare. Scientia redigendi res in artem superuacua, & inanis est sine experientia: experientia sine hac ipsa docendi uia, & ratione, quanto erit maior, tanto erit confusa magis: Ita alterum alterius au

xilio semper indiget. Hinc illud est, quod Aristoteles sapienter protulit libro primo de partibus animalium, in omni contemplandi genere, omniq; tum nobiliori, tum ignobiliori docendi uia, & ratione duos requiri ad habitum consequendum modos; quorum alterum scientiam rei, alterum peritiam quandam nominari. Hoc, et si utile uidetur in unaquaque doctrina tradenda, tum maxime necessarium existimari debet in ea philosophiæ parte explicanda, & illustranda, quæ in uitæ, morumq; institutione uersatur. Cum enim tota semper occupata sit in moderanda societate ciuili ex iudicio uiri prudentis, habita ratione, quid in quaque occasione agendum sit, quantum conueniat, cuius rei causa conueniat, erga quos conueniat, nihil de hac ipsa re præcipi posse credendum est ab eo, qui rudis sit actionum humanarum. Quamobrem qui sine his adiumentis ad eam rē animum applicuerit, aut nullus sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. neque enim sine multa pertractatione rerum publicarum, neque sine legum peritia, neque moribus hominum incognitis, in his ipsis rebus satis callide uersari, ac perite poterit. Etenim ex huiuscemodi perceptione efflo-

rescat, et redundet oportet philosophi moralis, & ciuilis oratio, sine qua inanem quandam habet ostentationem, ac penè puerilem. Quare non iniuria M. Tullij Ciceronis libros, quos ille de uita, & moribus accurate, et diligenter conscripsit, non modo præ manibus habendos, uerum etiam admiratione quadam suspiciendos semper iudicaui: cum antequam uir ille prudentissimus ad philosophiam humanam, & ciuilem tradendam se contulisset, tam diu sit uersatus in rerum publicarum administratione, ut singularis nulla res sit, quæ ad hanc facultatem pertractandam spectaret, in qua illum continui rerum maximarum euentus non exercuerint. Quæ enim alij philosophi de hac tota re memoriæ prodiderunt, ea quidem, aut ex seipsis excogitarunt, aut ad se ex superiorum philosophorum libris traduxerunt. quæ uero in medium protulit M. Tullius, omnia ex quotidianis actionibus ita ad hanc philosophiæ partem exornandã transtulit, ut nihil in ea desiderari, aut optari posse uideatur. præclarissimam enim omnium, quæ unquam fuerunt, rempublicam per quadraginta ferè annos prætor, consul, augur, imperator, proconsul ita administrauit, & consilio, ac sapientia

gubernauit, ut eum, quæ de his ipsis rebus prudenter, & copiose literarum monumentis tradiderit, non aliunde audiuisse, sed uidisse; non solum uidisse, sed interfuiße; non interfuisse, sed & præfuisse nemo fere est in literis mediocriter exercitatus, qui ex ueterum scriptis non animaduerterit. Vixit enim in ea ciuitate, quæ in omnia rerum publicarum genera se transformauit: Ex regno paulatim delapsa est in tiranidem, ex tiranide in gubernationem optimatum accessit, ex hac in paucorum dominatum incurrit, hinc in statum popularem, ac postremo ĩ unius Cæsaris dictaturam deuenit. Qui igitur eam rempublicam pertractauit, & ipsemet gubernauit, & cuius omnia consilia, et actiones, perfecte cognouit, eum putandum est de uita, & moribus, de ciuitate, de republica, de legibus non potuisse, quin exactissime scriberet. præterea his temporibus propinquus fuit, cũ P. R. Carthaginẽ æmulam imperij deleuit, quibus nulla alia respublica nec sanctior, nec bonis exemplis ditior unquam fuit. Incidit autem ipse in dominationem L. Syllæ, in perturbationem ueteris disciplinæ, in coniurationem Catilinæ, in dissensionem ciuilem principum ciuitatis, in triumuiratum

*Antonij, Lepidi, & Augusti tum maxime, cum
uitiorum omne genus in summo erat: Quemadmo
dum autem ibi esse peritissimos medicos necesse
est, ubi sunt multa, ac uaria morborum genera:
ita & eos esse optimos morum, & uitæ moderato
res in uniuersa hac philosophia constituenda exi-
stimandum est, qui & uaria hominum instituta,
& leges, & rerumpublicarum conuersiones, & ui
tia, et uirtutes non ex aliorum monumentis, sed
ab experientia ipsa hauserint, & expresserint.
Quæcunque Aristoteles, aut Plato de hac rerum
agendarum eruditione, atque doctrina uarie, &
copiose scripserunt, aut ex Cretensium, aut ex La
cedemoniorum, aut ex Carthaginiensium republi
ca mutuati sunt: M. autem Tullius, quæ illi le-
gerunt, et posteris memoriæ mandarunt, omnia di-
ligenter inuestigauit, quæ autem ipse uidit, & tra-
ctauit, & ante oculos habuit, illi uix quidem suspi
cari potuerunt, cum diutissime in ea republica sit
uersatus, quæ & imperij magnitudine, et gloria,
& optimis institutionibus, ac legibus, et eas, quas
modo nominauimus, & reliquas oēs, quæ unquam
gentium fuerunt, longe superaret. Qui itaque hæc
ipsa, non ut expers publicarum deliberationum ob*

seruauit, et notauit, sed ipsemet prouidentia prospexit, intelligentia administrauit, qui in omni negocio reipublicæ non se desiderari passus est, atque his adiumentis ad philosophiam moralem, & ciuilẽ conscribendam se contulit: cum ingenii etiam gloria, optimarumq́; artium studiis floreret, quis non uidet, eum in hac ipsa docendi uia, & ratione fuisse quam sapientissimum? Et quid dignum literarum luce, ac commendatione possunt afferre, qui his præsidiis tam necessarijs ad hanc rem pertractandam destituti sunt? Eos ego persimiles esse illi philosopho iudico, quem de militia disputantem magnopere contempsit Annibal, multos se affirmans stultos uidisse, neminem autem magis ridiculum. Unde eorum libros admirata est semper antiquitas, qui his de rebus disseruissent, quas ipsi ex communi quodam usu, non ex aliorum scriptis tantummodo animaduerterint. Cæsaris commentaria, Polibii, Xenophontis, & Thucididis rerum gestarum monumenta potissimum celebrantur: quia ijsdem deliberationibus, & actionibus interfuissent, munera, et functiones militiæ exercuissent, & propriis oculis omnia perlustrassent. Quinetiã Aristoteles ipse in secundo politicorum tacite quæ

ritur, Hippodamum, & complures alios philoso-
phos, qui uitam priuatim perpetuo traduxerint,
actionum humanarum, & ciuilis huius prudentiæ
p œnitus imperitos, haec huiusmodi tradidisse. Et
ille ipse M. Tullius in hoc sibi quodammodo glo-
riatur, quod libros de Republica tum cõscripserit,
cum eius gubernacula teneret, quasi ostendere uo
luerit, si alio tempore, & ut priuatus eadem pertra
ctasset, non fuisse futura nec tam illustria, nec eius
dem existimationis, atque authoritatis. Neque
eum omnino ipsius fefellit opinio: nam ita praestan
tissimos illos sex libros posteri approbarunt, ut,
cum de iustitia, de æquitate, de recto, atque hone-
sto disputarent, eorum authoritate potissimum ni-
terentur, quibus legendis ad imperii gubernatio-
nem adeo delectatum ferunt Alexandrum Seue-
rum Imperatorem, ut hos semper euolueret, atque
horum causa eius imaginem inter deorum statuas
collocaret. His omnibus adde, quantum ad hanc
rem afferre possit eloquentiæ studium. Nam cum
haec ipsa philosophia duas habeat partes, cognitio-
nem, & actionem, mirum in modum dictu est,
quam ualeat ad utrunque dicendi copia, & splen
dor orationis, qui ita necessarius est, ut sine eius

auxilio debilis haec omnis doctrina, ac manca esse uideatur. nam & dilucide praeceptis conformandi animi nostri sunt, & uehementer excitandi, atque inflammandi ad res honestas, ad iustitiam, ad continentiam, ad magnitudinem animi, ad pietatem, ad religionem. Quamobrem M. Tullij Ciceronis de hac parte philosophiae libros tam excultos, atque omni doctrinarum genere abundantes, dignos eruditis, dignos claris uiris, dignos principibus, dignos regibus grauiter, & acerbe tuli non adeo frequenter in manibus studiosorum esse, ac nullum penè in hac praeclarissimarum, atque optimarum artium officina habere locum. Quod ideo euenisse potissimum iudicandum est: quia plerique ea ratione hactenus eos percurrerint, ac si nullam continuationem, & seriem inter se habere omnino uiderentur. Vt his igitur incommodis, ac difficultatibus non nihil adiumenti afferrem, hanc in primis institutionem studiosis proponendam putaui, eoq; diligẽtius huiusmodi prouinciam non inuitus suscepi, quod a nemine eorum, qui haec uolumina ad hunc usque diem exposuerunt, disputata esse animaduerterim, quae de fine, de rei subiectae materia, de ordine, de docendi uia, de inscriptione

tione

tione, de utilitate ab his, qui philoſophiam publice profitentur, ante legitimae interpretationis ingreſſum adhiberi conſueuerunt, quae tamen, quam ſint neceſſaria, neminem ignorare arbitror. Horum autem librorum inſtitutio, cum haec praeclariſſima, quae modo commemorauimus, requirere uideatur, non eſt certe aliena a philoſophi moralis, & ciuilis munere: ad eum enim ſpectat, niſi: fallor, haec huiuſmodi breuiter ſaltem attingere, quae in animo ſemper habuit ſapientiſſimus ille uir, dum hos libros & meditaretur, & ſcriberet, & recognoſceret. Hoc igitur onus tam neceſſarium, tam oportunum, tam illuſtre ſuſcipiens propemodum manere in inſtituto meo uideor, nec a phloſophi moralis, & ciuilis officio diſcedere, ſed ne longior ſim rem ipſam aggrediar. Et quoniam nihil magis accommodatum ad hanc M. Tullii partem philoſophiae introducendam ſum arbitratus, quam ſi primo eorum omnium uoluminum, quibus uniuerſam ille complexus eſt, ſeriem, & continuationem breuiter aperirem: placet ab hac ipſa re dicendi initium ſumere, tum: quia eſt maxime neceßaria, & quaſi ueſtibulum quoddam, atque aditus ad omnem hanc pertractationem, tum prae

fertim etiam: quoniam, quae postea dicturus sum ex hac ipsa progressione multo clariora, & facilio ra fore confido. In constituenda igitur unaquaque doctrina, & disciplina quatuor sunt, quae quaerã tur; unum, quid contra eam; alterum, quid pro ea; tertium, quid ad eam; quartum, quid de ea sit afferendum. primum illud continet accusatio- nem, & reprensionem. secundum continet de- fensionem, & collaudationem. quod sequi- tur continet praeparationem quandam, ac muni- tionem, postremum illud continet legitimam rei p- tractationem. Atque hic ordo, & haec progredi- endi uia naturali quadam consecutione procede- re omnino uidetur. proprium est enim omnibus, qui de aliqua re acturi sint, quae partim commen detur, partim uituperetur, si de ea plura instituãt, primo omnium uituperatorum obiecta proponere: deinde his respondere: tum ad ea, quae prius cogni tu necessaria sunt ad eam percipiendam, animos præparare: ac ad extremum de ea praecepta trade re, ne pertractarent de re, quae confusa maxime, ac perobscura, & quae indigna omnino praescri- bi ab hominibus sapientissimis uideretur. Quam obrem cum M. Tullius summis honoribus desun

ctus ad philosophiam praesertim humanam, & ciuilem suis ciuibus tradendam se contulisset, muneribus publicis impeditus longo interuallo eius scribendae studium intermiserat: sed uidens post bellum ciuile inter Caesarem, & Pompeium, hunc fuisse Romanae Reipublicae statum, ut omnia unius nutu gererentur, nec cuiusquam consilio, aut authoritati locum fuisse, ne ocio langueret, ad inceptam iam philosophiam perficiendam animum reuocauit, in eaq; uniuersa redigenda, atque aptanda hunc eũdem ordinem, quem nuper attulimus, diligentissime custodiuit. In primo enim libro eius uoluminis, quod inscribitur Hortensius, ea omnia contulit, quae uituperatores philosophiae aduersus eam publice afferebant. In secundo reliqua adiunxit, quibus philosophiae uituperatoribus cumulate responsum, & satisfactum existimauit. Inde in quatuor Academicarum questionum libris, quod genus philosophandi ad hanc rem pertractandam sequendum arbitraretur, copiose ostendit. In Reliquis uero libris de finibus bonorum & malorum, de officiis, de amicitia, de senectute, de consolatione, in libris tusculanarum questionum, in paradoxis, in Catonis laudatione, in libris de republica,

de legibus, & de re familiari uniuersam legitimã pertractationem distincte, & eleganter persecutus est. Scripsit igitur in eo libro, quem Hortensium nuncupauit, duas disputationes; in quarum altera, quæ passim contra philosophiam dicerentur, undiq; in unum collegit, in altera uero, quæ pro ea adduci poterant, breuiter complexus est, & in academicis, quo genere philosophandi esset utendum in legitima pertractatione, clarissime exposuit. Quod autem illud esset, his uerbis explicat in iisdem academicis: Neque nostræ disputationes quicquam aliud agunt, nisi ut in utranque partem dicendo, & audiendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut uerum sit, aut ad id quam proxime accedat, neque inter nos, & eos, qui se scire arbitrantur, quicquam interest, nisi, quod illi non dubitant, quin ea uera sint, quæ defendunt, nos probabilia multa habemus, quæ sequi facile, affirmare uix possumus. In Reliquis omnibus libris, quos enumerauimus, de uniuersa hac morum philosophia præcepta literis mandauit, ita ut nullus sit huius doctrinæ locus, quem in eius scriptis desideremus. In Hortensio alienos a philosophia reuocauit, et excitauit. In Academicis reuocatos iam,

& excitatos præparauit. In Reliquis præparatos etiam in eius studio retinuit. Hoc autem doctrinæ ordine hos libros cum instituisse, qui eius uerba recte perpenderit, neminem latere arbitror: inquit enim in secundo academicarum questionum, has cum hortensio coniugens: Etenim si quodam in libro uere est a nobis philosophia laudata, intelligit autem Hortensium, profecto eius tractatio optimo, atque amplissimo quoque dignissima est, & paulo post: Quibus de rebus & aliàs sæpe nobis multa quæsita, & disputata sunt, & quondam in Hortensii uilla, cum eo Catulus, & Lucullus, nosque ipsi postridie uenissemus, significat autem sermones habitos de laudibus philosophiæ in Hortensio, cùm ille ex altera parte uituperaret philosophiam, ex altera uero parte M. Tullius cum Catulo defenderet, & collaudaret: & in secundo de diuinatione, cum de serie suorum librorum uerba faceret: Nã & cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiæ studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius, & quod genus philosophandi minime arrogans, maximeq; & constans, & elegans arbitraremur, quatuor academicis libris ostendimus, cumq; fundamentum esset philosophiæ positum in finibus

bonorum, & malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut quid a quoque, & quid contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset, et in primo de finibus in proemio: Quanquã philosophiæ quidem uituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa, et collaudata est, cum esset accusata, & uituperata ab Hortensio, qui liber, cum & tibi probatus uideretur, et ijs, quos ego posse iudicare arbitrarer, plura suscepi, ueritus, ne mouere hominum studia uiderer, retinere non posse. Constat igitur primo accusatam, ac uituperatam esse philosophiam ab Hortensio, inde a se defensam, et collaudatam, ac proprijs præsidijs munitam, & tandem, ut suorum ciuium animos in eius studio retineret, copiosissime pertractatam. Hortensij liber est tanquam proemium quasi quoddam, præpositum uniuersæ philosophiæ, tum naturali, & disputatrici; tum præsertim huic parti, quae erat de uita, & moribus. Libri Academicarum quæstionum de genere philosophandi habent pariter communem quandã præparationem, tam ad omnes philosophiae partes, quam praecipue ad eam, qua uniuersa haec humana, & ciuilis contineretur, prima certe ex senten-

tia M. Tullij & dignitate, & naturae, & doctri nae ordine. Etsi autem uniuersae philosophiae hos duos libros praeposuerit M. Tullius, ut apparet in libro de uniuersitate, in proemio primi libri de natura deorum, de diuinatione, & de fato, coniunctos tamen esse uoluit, non cum libris, qui ad re rum naturam spectant, sed cum ijs, qui sunt de ui ta, & moribus: ut aperte ostendit in proemio secũ di libri de diuinatione. Accedamus igitur iam, ut proposuimus, ad distributionem earum disputa tionum, quas noster hic philosophus post Hortensium, & Academicas quaestiones de hac philosophandi ratione perscripsit. Quamobrem cum ille uideret fundamentum esse totius philosophiae positum in finibus bonorum, & malorum, quinque libris sequentibus in harũ rerum explicationem ingressus est. Allatis igitur, & funditus euersis, at que explosis Epicureorum decretis, & Stoicorum opinionibus aliqua ex parte improbatis, qui, tamet si partem extremi bonorum attigerint, non tamen absoluerunt beatam uitam, tandem constitit in Pe ripateticorum sententia, dum hanc unam caeteris anteponeret, hanc extolleret, in hac tanquam in ua lidissimo firmamento reliquas philosophiae partes

erigeret. Cum itaque primum deduxerit, & confirmauerit, ex Peripateticorum fontibus, nihil aliud esse illud summum hominis bonum, quam naturae humanae conuenienter uiuere, extremumq; esse rerũ expetendarũ adeptũ esse õia e natura, corpore, & animo; in uirtuteq; maxime esse positam beatam uitam, si praeterea adiungerentur & corporis, & fortunae ad uirtutis usum idonea, ut ualetudo, diuitiae, opes, gloria, gratia, amicitiae, & reliqua, quae aliquid afferunt ad honestas actiones edẽdas sine impedimento: Secundo loco post libros de finibus adiunxit libros officiorum, diligẽter praecipiens, quae munera, & quae actiones essent a nobis praestandae, ut naturae humanae conuenienter uiueremus: neque poterat, antequam sibi hunc aditum aperuisset, quicquam de officijs scribere. Oportebat enim primum omnium scopum quasi quendam uitae firmare, atque inde officia, & actiones ad eum dirigere. hoc ipse demonstrat in primo de finibus in proemio: Quid est enim, inquit, in uita tantopere quaerendum, quam, cum omnia in philosophia, tum id, quod ijs libris quaeritur, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene uiuendi, recteque faciendi consilia referenda.

da, quibus uerbis & libros de fine bonorum expreßit, & officia, quæ essent ad finem dirigenda, coniunxit. quid enim aliud est officium, quã bene uiuendi, recteq; faciendi consilium? quod probat ipse in diuisione officij, dum officium appellat consilij capiendi deliberationem. Quinimo nõ solum attigit uniuersim officia, sed etiam & media, & perfecta complexus est; media quidem, per illa uerba, bene uiuendi: perfecta uero per illa altera, recteq; faciendi. nam & perfectum officium, rectum ait appellari plurimis in locis Vnde ad huiusce rei confirmationem addit hæc uerba in tertio de finibus: Quoniam enim uidemus, inquit, esse quiddam, quod recte factum appellamus, id autem est perfectum officium, erit autem etiam inchoatum: ut si iuste depositum reddere in recte factis sit, in officiis ponatur depositum reddere. illo enim addito, iuste, facit recte factum, per se autem hoc ipsum reddere, in officio ponitur. quoniamq; non dubium est, quin in iis, quae media dicimus, sit aliud sumendum, aliud reiciendum: quicquid ita fit, aut dicitur, communi officio continetur. Quamobrem si oportet esse & finem, & officia, quæ ad finem ipsum bonorũ

dirigerentur, alteraq; cum altero consequentia, quis non uidet, eum, qui de utraq; re libros adidisset, non potuisse, quin coniunctim de utraque perscriberet. nisi enim his tribus libris praecepta officiorum distincte declarasset, nequaquam profecto docuisset, quid esset naturae humanae conuenienter uiuere: nam cum idem sit ex officio hominis uiuere, et naturae humanae conuenienter uiuere: ommissa explicatione officiorum, sine dubio ommisisset & explicationem diffinitionis summi boni, quod erat naturae humanae congruere, hoc est, ut dicebat Archedamus philosophus, nihil officiorum ommittendo uiuere, & ut ex Zenonis mente asserebat in quarto de finibus idem M. Tullius, Officia omnia media, aut pleraq; seruãtem uiuere. Quamobrem qui diffiniuit summum bonum naturae humanae conuenienter uiuere, quod nihil aliud est, quam officia omnia media, aut pleraq; seruantẽ uiuere: nõ additis medii officii praeceptis, quibus declaratio diffinitionis summi boni plene continetur, non ne imperfecte etiam de summo bono praecepisset? Ausim itaque dicere, absolutae declarationi summi boni nõ undique satisfacere quinque libros de finibus,

nisi eos coniunctim consequantur tres libri de medio officio, qui generatim inscribuntur de officiis. Hoc idem pariter affirmat libro quinto de finibus sub his uerbis: Constituto enim in philosophia bonorum fine, constituta sunt omnia: summum uero bonum, si ignoretur, uiuendi rationem ignorari necesse est: Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur, quid sit & bonorũ extremum, & malorum, inuenta uitæ uia est, confirmatioq́; omnium officiorum, & in primo libro de officijs in eius exordio: Sed sunt nonnullae disciplinæ, quæ, propositis bonorum, et malorum finibus, officium omne peruertunt, & paulo post: Neque ulla officii præcepta firma, stabilia, coniuncta naturæ tradi possunt, nisi: aut ab his, qui solã: aut ab his, qui maxime honestatem propter se dicant expetendam. itaque propria est ea perceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum, qui, ut per sæpe repetit pluribus in locis, re conuenientes, nominibus dissidebant, & in quinto quæstionum tusculanarum: Inuenitur quid sit, quod natura spectet, extremum in bonis, quod in malis ultimum, quo referenda sint officia, quæ degendæ

ætatis ratio deligenda. Unde etiam in quinto de finibus officia cum fine coniungit, neque hæc sine eius constitutione posse tradi confirmat, inquit enim: Alii rursus iisdem a principiis omne officium referunt, aut ad uoluptatem, aut ad non dolendum, aut ad prima illa secundum naturam obtinenda, & non multo post: Quocunque enim modo summum bonum sic exponitur, ut id uacet honestate, nec officia, nec uirtutes in ea ratione, nec amicitiæ constare possunt, quibus ex uerbis uidetur significare M. Tullius, nec a summo bono officia posse disiungi, nec, ut consequitur, libros, qui agunt de officiis, segregandos a libris de finibus, & dialogum de Amicitia cum officiis, coniunctum esse oportere, quod manifestius declarat etiam in proemio primi libri officiorum, dum ait: Nam qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum uirtute coniunctum, hic, si sibi ipse consentiat, & non interdum naturæ bonitate uincatur, neque amicitiam colere possit, nec iustitiam, nec liberalitatem. fortis uero, dolorem summum malum iudicans: aut temperans, uoluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. Scripturus ergo de officiis dupli-

cem eorum affert quæstionem, eam scilicet, quæ pertinet ad inueniendũ summum bonum. primum enim nostrum officium est reperire, & nobis proponere aliquem finem bonorum, qua de re egit uberrime in libris de finibus, atque inde inquirere, quæ functiones, & officia sint aptissima ad eum, tanquam scopum, attingendum. Ad finem autem recte constituendum, id nobis diligenter perscrutandum est, omnia ne officia finium perfecta sint, hoc est utrum omnes fines ab hoc, atque illo philosopho nobis propositi ad deligendum, perfecti sint; ac si iam cognouerimus alios eorum imperfectos, alios esse perfectos, alios sequendos, alios reiciendos, tum demum inuestigandum est, ex his finibus, qui perfecti putantur, quis eorum uideatur esse perfectissimus, in quo denique, tanquam in tutissimo portu, conquiescamus, quod uarie, copioseque exequutus est ÿsdem libris de finibus, ubi imperfectos multos reicit, ut Epicuri, Herilli, Pyronis, qui summum bonum in uoluptate, in sola scientia collocabant: nec non Hieronimi, Carneadis; quorum alter, in uacuitate doloris: alter in fruendis rebus ÿs, quæ primae eßent secundũ

naturã, hoc est in partiũ omnium incolumitate, conseruationeq;, in ualetudine, sensuumq; integri tate, uiribus, pulchritudine, in caeterisq; eiusdẽ generis summum bonum statuebãt; eos uero fines, qui perfecti iudicabantur, comparat inter se, ac postremo colligit finem a Peripateticis positum omnium, qui perfecti haberentur, esse longe praestantissimum, & undique absolutum, eumque esse naturae humanae conuenienter uiuere, quod nihil aliud est: cum hominem uideamus ex animo, corporeque constare: quam primas partes animo, secundas corpori, tertias fortunae tribuere, semperq; animi uirtutem corporis uirtuti anteponere, fortunaeq; commoda ultima putare. Nã cui praeposita est sui conseruatio, necesse est, huic partes quoque sui charas esse, charioresq;, quo perfectiores sint, & magis in suo genere laudabiles. ea enim uita expetitur, quae sit animi, corporisq; expleta uirtutibus, idq; est humanae naturae conuenienter uiuere. hoc autem nõ intelligit more stirpiũ, dum nutrimur, & augemur, uitã ducere, sed agere, & operari secundum uim homini a natura tributam, quod ex Aristotile desumpsisse M. Tullius uideri potest, qui primo

ethicorum capite quarto ex communi omnium opinione dixit, idem eſſe bene uiuere, & rem bene gerere, & bene agere, & beatum eſſe; & in eodem libro capite ſeptimo, ubi ait, felicitatem hominis eſſe, uitam quandam, quae in actionem apta ſit, eius propriam, quod rationi praeditũ eſt. Hoc enim eſt naturae humanae conuenienter uiuere, ex proprio ſcilicet officio omnia agere, & earum rerum, quae ſunt ſecundum naturam, quam plurima, & quam maxima adipiſci, ut ipſe interpretatur in quarto de finibus. Poſt hãc priorem officiorum diuiſionem, qua diſtinxit libros officiorum a libris de finibus, adiungit & poſteriorem, qua ſeparet libros officiorum a libris tuſculanarum queſtionum. unde addit eſſe alteram officii diuiſionem, ut unum medium dicatur, alterum perfectum. deffinit id eſſe perfectum officium, quod rectum ſit; medium autẽ, quod, cur factum ſit, ratio probabilis reddi poteſt. Hanc inter hoc utrunque officium differentiam explicat etiam apertius in quarto de finibus, demonſtrans illud rectum, quod catorthoma dicebatur, contingere ſoli ſapienti, & uiro perfecto, medium autem, inchoatum quoddam

officium eſſe,non perfectum; idque cadere in mul
tos etiam inſipiẽtes poſſe. Hinc ait in tertio libro
queſtionum tuſculanarum ,ſtultitiam , ideſt in
conſtantiam,ſanitate uacantem, poſſe tamen tue
ri mediocritatem officiorum , & uitae commu-
nem cultum , atque uſitatum . Sed utriuſque
officii dfferentiam illuſtremus exemplo: ſi Socra
tes ille apud Platonem falſo accuſatus,et iniuſte
etiam damnatus,amicorum conſiliis paruiſſet,at
que è carcere cuſtode corrupto aufugiſſet,egiſſet
profecto ex medio officio, eiuſq; rei probabilem ra
tionem afferre potuiſſet, falſam culpam ,fictum
crimen, turpisſimi iudicii ſententiam, & natu-
ræ humanæ propenſionem ad ſe ipſam tuendam,
& conſeruandam. egit autem ex perfecto offi-
cio,dum maluit uitam iniuste amittere , quam
uideri,leges patriae, ſub quibus totum uiuendi
curſum peregerat,neglexiſſe. Hanc eandem dif
ferentiam, inter officium medium, inchoatum ;
& inter officium perfectum, atq; abſolutum de
clarat ipſe in tertio de finibus his uerbis, prius
etiam citatis: Quoniam enim uidemus eſſe quid
dam,quod recte factum appellamus,id autem eſt
perfectum officium,erit autẽ, etiam inchoatum,

ut

ut si iuste depositum reddere, in recte factis sit, per se autem hoc ipsum reddere, in officio ponitur. Quod autem M. Tullius in libris de officiis agat de medio officio, non autem de perfecto, ex his, quae ipse attulit in tertio libro, luce meridiana clarius comprobauit. Haec igitur, inquit, officia, de quibus his libris dißerimus, quasi secunda quaedam honesta eße dicunt, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere communia. itaque his omnes, inquibus est uirtutis indoles, commouentur. Commune autẽ hoc officium appellat medium officium; uel, quod in medio positum communiter omnibus pateat; uel certe, quod esset medium, & nobilitate, et natura, & tractatione inter officium definibus, de quo egit in libris de finibus, & inter officium perfectum, de quo agit in tusculanis. Quod autem idem sit medium, quod commune officium, docet M. Tullius, dum ait medium officium commune uocari, cuius rei supra attulit rationem: quia hæc media officia ad institutionem uitæ communis uideantur spectare. Quamobrem non ignorandum est, cum commune officium nominat, idem intelligere, atque medium,

& cum pariter medium nominat, idem intellige re ac commune, ut utrunque distinctum est; & ab officio, quod pertinet ad deligendum finem bonorum, & a recto officio, atque perfecto, quod ad solum pertinet sapientem. Hac itaque officiorum secunda diuisione, ut ad id, unde digressa est, nostra reuertatur disputatio, M. Tullius disiungit libros officiorum, in quibus, ut diximus, agit de medio officio, a libris tusculanarum quæstionum, in quibus agit de perfecto. atque doctrinæ, & naturæ ordine prudentissime præponit libros officiorum libris tusculanarum: cum prius agendum fuerit de inchoato officio, & communi, quam de perfecto. primum enim ex rerum tractandarum natura, & docendi ratione erat necessarium, statuto iam bonorum fine media officia inuenire, quae ducerent nos, atque disponerent ad perfecta. Debent igitur post libros de finibus subsequi libri de medio officio, qui sunt tres inscripti de officiis, quibus: quia, ut antea etiam docuimus, affinitatem quandam habent cum iis uaria amicorum officia inter eos præstanda, debet succedere dialogus inscriptus Lelius, uel de Amicitia. Quod autem praecepta de hac

ipsare, officiaq; inter amicos seruanda a M. Tullio tradita ad illud medium, & commune officii genus, non ad perfectum sapientis referantur, uerba eius sub persona Lelii indicant in eodem dialogo de amicitia, cum ille inquit: Loquor enim, ut paulo ante dixi, non de sapientum, sed de communibus amicitiis. Huic adijciendus est libellus de senectute, cum in eo tacite tradantur officia ad hanc ætatem moderate, & leuiter tolerandam, congruumque habere locum non est dubium inter libros de medio officio, & de amicitia, & inter libros tusculanarum questionum de perfecto sapientis officio: quoniam nos disponit, ac præparat ad contemnendam mortem, et ad alias ægritudines leniendas, de quibus agitur in primis libris tusculanarum. Vnde postrema pars huius dialoghi de senectute maximam habet coniunctionem cum eorum prima parte de morte ipsa contemnenda, ad quam accessus quidam, & progressio est tolerantia ipsa senectutis. quod autē hic liber interponi debeat inter libros officiorum, & libros tusculanarum, ipsemet cicero, sub obscure tamen indicat, dum in exordio libri secundi de diuinatione post enumeratio-

nem hortensii, academicarum quæstionum, librorum definibus, tusculanarum quæstionum, librorum de republica hunc quoque nominet, eumque his interiectum dicat, hoc est a se interpositum, certe ante libros tusculanarum, cum nullum alium commodiorem locum habere uideatur. Ex rei igitur natura, & ex argumenti similitudine, & quasi affinitate quadam annumerandus est post tres libros officiorum, & librũ de amicitia dialogus hic de senectute, cui adde, si placet, librum de Consolatione, de toleranda propinquorum, & sanguine coniunctorum morte, nõ dissimilis argumenti. est enim præparatio quædam ad mortem generatim contemnendam, & ad primum librum quæstionum tusculanarum, ut in eo sub auditoris persona ostendit: inquit enim auditor ad M. Tullium: satis tu quidem in consolatione es lamentatus, quam, cum lego, nihil malo, quam has res relinquere: his uero modo auditis multo magis. Quare non sine iudicio singulari adiunctos fuisse libris de officiis, dialogo de amicitia, dialogo de senectute, librum de consolatione putare debemus, cum tamen magis coniunctus libris tusculanarum ui-

deatur. solent enim præstantes, ac sapientes uiri, ex una tractationis parte ad alteram accedentes quædam media interponere, quæ ijs, quæ sequntur, uiam sternant, quod ab Aristotele quoque ipso factum fuisse animaduertimus, qui inter libros tres Meteororum, & libros de Animalibus, quartum librum meteororum interseruit, qui, etsi paulum ab incepta materia discedit trium superiorum librorum, continet tamen praeparationem, & munitionem quandam ad posteriores, qui sequuntur, libros de animalibus. Et ultimum pariter caput ultimi libri Ethicorum continet præparationem quandam, & munitionem ad octo libros Politicorum, & ad duos libros Economicorum. post pertractationem, quæ erat de medio officio, de amicitia, de senectute, de consolatione, adiungendi, & continuandi sine dubio sunt de perfecto sapientis officio quinque libri Tusculanarum quæstionum de contemnenda morte, de tolerando dolore, de ægritudine lenienda, de reliquis animi perturbationibus, de uirtute ad beate uiuendum seipsa contenta, quibus ob similitudinem rei subiectae adiungi etiam commode possunt ea, quae Paradoxa nominantur, cum nihil

aliud ſint, quam ceu index quidam breuior, & quaſi quaedam appendix tuſculanarum quaeſtionum. Hanc coniunctionem, & ſimilitudinem paradoxorum cum tuſculanis tacite ſignificat in eorum praefatione ad Brutum, dum ait: Accipies igitur hoc paruum opuſculum, lucubratum his contractioribus noctibus: quoniam illud maiorum uigiliarum munus in tuo nomine apparuit. Nominans itaque munus maiorum uigiliarum illud Tuſculanarum, quod pariter ad Brutum de iiſdem rebus iam ſcriptum fuerat, & hoc paradoxorum paruum opuſculum; alterum alterius ſummam quandam eſſe breuiorem aſſerere uidetur. Quod autem in tuſculanis, et in paradoxis agat M. Tullius de perfecto ſapientis officio, ea, quae in his libris diſputanda proponuntur, clariſſime oſtendunt: an mors contemnenda ſit: an uirtus ſit ſe ipſa contenta: an in ſapientem cadat aegritudo: an omni animi perturbatione poſſit ſapiens uacare: quod omnes ſapientes ſint liberi, ſtulti uero ſerui: quod ſolus ſapiens ſit diues, & his ſimilia. Quaeſtionibus tuſculanis, & paradoxis annumerari poteſt Catonis Uticenſis laudatio a Cicerone conſcripta: nullum enim commo

diorem locum sibi assumere illud scripti genus posse uidetur, partim: quia ipse Cato, ut perfectus Stoicus, se semper applicuerit ad eam uitae formam, quae maxime ad perfectum sapientis officium accederet, partim etiam: quoniam eum uirum M. Tullius ex hoc officio summopere laudet, ut qui mortem contempserit, & ad solam uirtutem omnes eius actiones retulerit. Vnde in eo ait, maiora omnia re, quam fama fuisse, ut expectatio cognitione, aures ab oculis uincerentur, nullumque unquam eum uerbum emisisse, quod uellet reuocare. Quamobrem nulli dubium est, hanc ipsam laudationem cum paradoxis, & cum tusculanis esse coniungendam, tanquam exemplar quoddam uiri perfecte sapientis, qui ex perfecto huiusmodi officio, quod his libris perscriberetur, uitam omnem semper duxerit. Huic Catonis Vticensis laudationi respondit Caesar, iam dictator ea uituperatione, quam Anticatonem nuncupauit, in qua, ut ait Cornelius Tacitus, aut si quis alius fuerit author eius dialoghi rescripta oratione, ueluti apud iudices respondit M. Tullii laudationi, unde asserit Quintilianus libro tertio capite nono oratoriarum institutionū,

Cæsarem in uituperando Catone tribus causarū statibus usum fuisse. Horum itaque librorum, quos hactenus recensuimus, & uniuersim distincte, ut arbitror, in partes principes distribuimus, primum gradum obtinet Hortensius de laudibus philosophiae. secundum libri quatuor Academicarum quaestionum de optimo genere philosophandi. tertium libri quinque de Finibus. quartum locum sortiti sunt libri de medio officio, generatim de Officiis inscripti, cum dialogo de Amicitia, de Senectute, et de Consolatione. quintam sibi uendicant sedem libri Tusculanarum quaestionum de perfecto sapientis officio cum Paradoxis, quasi eorum paruo appendice, & cum Catonis laudatione. Atque horum omnium librorū naturali quodam ordine alii aliis gradatim uiam patefaciunt, Cum alii ex aliis nexi, & omnes inter se apte colligati uideantur. nam, ut nunc omittam hortensium, & academicas quæstiones, ueluti proemium, & præparationem quandam ad uniuersam philosophiam humanam, & ciuilem, sine libris de finibus non poterant constitui officia neque media, neque perfecta. Liber de senectute disponit nos ad tolerandam mortem propinquorum.

rum.

rum. & consolatio mortis propinquorum nos paratos reddit ad contemnendam omnino generatim mortem. Sed quoniam, ad perficiendam uniuersam humanam, & ciuilem philosophiam, non solum oportet de finibus, de officio tum medio, tũ perfecto præcepta tradere, sed etiam modum inuenire, quo homines cognito, & proposito fine, & officijs ad summum illud bonum adipiscendum inuitarentur, et cogerentur, his omnibus uoluminibus, quorum iam meminimus, adiunxit sex illos præstantissimos de republica libros, in quibus eum reipublicæ statum conformat, in quo ciues optimis magistratibus ad felicitatem perducerentur, cum nihil aliud respublica sit, quam ordo magistratuum in ciuitate institutus ad quietam ciuium, & beatam uitam. His nectit quinque libros de legibus publicis huius optimæ reipublicæ, a se institutæ, quibus eosdem ciues & adhortaretur, & impelleret ad uirtutum actiones, & ad naturæ humanæ conuenienter uiuendum, hoc est ad colenda ea officia, quibus ad summum illud bonum peruenire possent: & ultimo tandem loco ex doctrinæ ordine perscripsit libros tres economicorum de legibus domesticis, ad recte tuen-

dam rem familiarem, & ad eandem felicitatem augendam, & cumulandam, idq; ab eo prudentissimo consilio factum putare debemus. Nam cum pauci admodum reperiantur, qui per se sponte ad honestas actiones parati sint, oportet, ut à republica moderatoribus dirigantur ad rectè gaudendum, & dolendum, & ad agendum ex uirtute. Quamobrem & reipublica, & legibus opus erat. Nam quemadmodum leges sine republica: ita pariter & respublica sine legibus nihil potest. qui itaque alterum ab altero separant, hi tanquam ab animo corpus seiungunt, quorum sine maximo exitio fieri neutrum potest. Necesse ergo fuit esse & leges in ciuitate, quæ iuberent actiones honestas, prohiberentq; contrarias, & moderatores reipublicæ, qui bonos ex legum imperijs, et sanctionibus, præmijs propositis ad uirtutem inuitarent, improbos pœnarum metu a uitijs deterrerent, cogerentq; secundum leges iam descriptas uitam ducere, ita ut paulatim ex improbis fierent probi, & per hunc probitatis habitum consequerentur illud summum bonum, quod iã sibi proposuerant, hoc est sui ipsorum perfectionem, & illud naturæ humanæ conuenienter uiue-

re. Copulauit igitur M. Tullius cum libris tusculanarum quæstionum, cum paradoxis, & Catonis laudatione sex libros de republica, quos magna ex parte summa cum iactura præter cæteros desideramus, atque his adiecit alios quinque de legibus huius à se institutæ Reipublicæ, ac denique his omnibus tres de legibus, quae ad familiam pertinent. Hãc affinitatem, & coniunctionem librorum de legibus familiaribus cum libris de legibus publicis, & cum libris de republica uidetur significaße libro primo de natura deorũ, cum dixit: & si omnia philosophiae praecepta referuntur ad uitam, arbitramur nos & publicis, & priuatis in rebus ea praestitiße, quae ratio, & natura praescripserit, per publicas res attingens libros de republica, & de legibus publicis, per priuatas res intelligens tres libros de legibus familiaribus, hoc est tres à se conscriptos libros economicorum. Quod uero tres ultimos libros hac ratione dispoſuerit, & ordinauerit cũ ex eius uerbis, tum etiam ex ratione ipsa non obscure, ut opinor, coniectura prospicere possumus. Nam quod libris tusculanarum subiecerit libros de republica, memet ipse significauit in se-

cundo libro de diuinatione, dum post quaestiones tusculanas nominat libros de natura deorum, de diuinatione, & de fato, qui sunt dissimili argumento, & certe referuntur ad illud philosophiae genus, quod aut ad rerum naturam spectat, aut ad illud, quod est supra naturam, atque inde enumerat libros de republica, qui quidem, exemptis ex hoc ordine illis tribus de natura deorum, de diuinatione, et de fato, & ad aliam philosophiae partem relatis, subsequuntur libros tusculanarum, & eos, qui ijs tanquam appendices annexi sunt. Quantum autem attinet ad coniunctionem, & continuationem quinque librorum de legibus cum libris sex de republica, primo de legibus sub persona Pomponij Attici, ab uno uolumine ad alterum seipsum continuans, aperte declarat: Atque si quaeres, ego, quid expectem, inquit Atticus, quoniam scriptum est à te de optimo reipublicae statu, consequens esse uidetur, ut scribas tu idem de legibus, & in tertio sub persona propria: Nos autem, quoniam leges damus liberis populis, quaeque de optima republica sentiremus in sex libris ante diximus, accommodemus hoc tempore leges ad illum, quem probamus

ciuitatis statum. quod autem leges ad summum bonum referat, quemadmodum et statum reipublicae, a se formatum, paucis uerbis docet secundo de legibus: Constat profecto, inquit, ad salutem ciuium, ciuitatumq́ incolumitatem, uitamq́ omnium quietam, & beatam conditas esse leges. sed quod uitam beatā, & summum bonum, cui leges ipsae debent inseruire, dirigat M. Tullius ad illud naturae humanae conuenienter uiuere, quod iampridem in quinto de finibus ex sē tentia peripateticorum statuerat, pauloante apertissime testatum reliquit in primo de legibus, dū ait: Sed certe res ita se habent, ut ex natura uiuere summum bonum sit, idest uita modica, & apta uirtute perfrui, aut naturam sequi, & eius quasi lege uiuere. Vnde hanc legem in tertio de republica diuina quasi uoce depinxit esse rectam rationem, naturæ congruentem, difusam in omnes, constantem, sempiternam, quae uocet ad officium iubendo, uetando, a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra iubeat, aut uetet; nec improbos iubendo aut uetando moueat, cui nec obrogari fas esse, neque derogari ex hac aliquid licere, neque totam abrogari posse neque aut per

Senatum, aut per populum solui hac nos lege posse. Apparet igitur series, & continuatio librorũ de legibus cum libris de republica, appareretq; clarius profecto ordo librorum de republica ad libros officiorum, & ad libros tusculanarum quæstionum, si eos integros haberemus. quinetiã fortasse pateret et ordo economicorum ad libros de legibus, si ij quoque ad nos peruenissent. Hac autem res etsi caret aperta authoritate, non tamen caret coniectura, & ratione hac serie fuisse a Cicerone descriptos, ac distributos. Nam si respublica nihil aliud est, quam ordo magistratuum, ciues dirigens ad felicitatem, & ad actiones, officiaq; uirtutum, certe ad nullum alium finem uirum prudentissimum de republica scripsisse credendum est, quam ad retinendos ciues in officio, & in actione uirtutis ad naturæ humanæ conuenienter uiuendum, qua de re prius præcepta cumulare tradiderat. Præterea, ut de legibus hoc idem probemus, si lex est recta ratio naturae congruens, constans, sempiterna, quæ uocet ad officium iubendo, uetando, à fraude detereat: ut eam diffiniuit M. Tullius, certe leges, quae hortantur, & impellunt homines ad huiusmodi

officium, supponũt cognitionem officij tam medij, quam perfecti; sed si libri de republica coniunctim, & continẽter antecedunt libros de legibus, certe tam libri de legibus, quam libri etiam de republica debent succedere ijs libris, qui pertinent ad hoc, & ad illud officium, cum ad utrunque leges uocent, et respublica hanc legum uocationem re ipsa exequatur. Ad eundem igitur finem sine ulla dubitatione referendos esse etiam quinque libros de legibus publicis, & tres de legibus familiaribus existimare debemus, cum ab Aristotele quoque ipso, quem certe in hac re sibi proposuit imitandum, hunc ordinem diligentissime conseruatum conspiciamus. His igitur gradibus M. Tullius uniuersam de uita, & moribus philosophiam prudentissime continuauit, ut primo gradu collocaret Hortensium. Secundo libros Academicarum quaestionum. tertio libros de Finibus. quarto libros de Officiis, qui sũt de medio officio, cum dialogo de amicitia, de senectute, & de consolatione. quinto libros Tusculanarum quaestionum cum paradoxis, & cum Catonis laudatione. sexto libros de Republica. septimo libros de Legibus, postremo libros Economico

rum. Horum omnium Hortensius, Academicae quaestiones, libri de Finibus, libri de Officijs, Tusculanae quaestiones, libri de Republica, libri de Legibus publicis, libri Economicorum, de legibus familiaribus, tanquam praecipua membra, & partes constituunt uniuersum corpus totius humanae, & ciuilis philosophiae. dialogus uero de amicitia, dialogus de senectute, & liber de consolatione sunt adnata quaedam, & apposita, & tanquam additamenta, & quasi appendices ad medium officium, & ad libros officiorum. paradoxa uero, & Catonis laudatio sunt pariter additamenta, & appendices ad perfectum officium, & ad libros tusculanarum quaestionum. Hortensius nullam habet similitudinem, & conuenientiam cum libris, quos de philosophia humana, & ciuili reliquit Aristoteles. neque enim ille huiusmodi commendationes scientiarum, aut facultatum, de quibus praecepta tradit solet adhibere. Libri academicorum de optimo genere philosophandi respondent tertio, quarto, & quinto capiti primi libri ethicorum, in quibus ille agit de ordine, et ratione progrediendi, et argumentandi in philosophia ciuili. Libri de finibus re-

spondent

ſpondent primo Ethicorum. Libri officiorum reſpondent ſecundo, tertio, quarto, quinto, ſexto Ethicorum. Libri tuſculanarum reſpondent ſeptimo Ethicorum & ei parti, in qua agit de uirtute heroica. Eam namq; habent proportionem, comparationemq́ media officia ad uirtutes morales, & intellectiuas, quam habet perfectum ſapientis officium ad uirtutes heroicas. Dialogus de amicitia reſpondet octauo, & nono Ethicorum. Libri de republica reſpondent primis ſeptem libris Politicorum uſque ad tertiumdecimum caput ſeptimi. Libri de legibus reſpõdent reliquis capitibus ſeptimi libri, & toti octauo Politicorũ. Libri economicorum reſpõdent duobus libris, quos Ariſtoteles ſcripſit de re familiari. His omnibus, quæ nos hactenus attulimus de ordine librorum, quos M. Tullius ad conſtituendam uniuerſam humanam, & ciuilem philoſophiam poſteritati mandauit, uidentur eiuſdem uerba ſere eſſe contraria in proemio ſecundi libri de diuinatione, quibus aliqua ex parte alia quædam ſeries proponitur, quam ea, quæ a nobis iam conſtituta eſt. Eius uerba ſic habent: Quærenti mihi, multumq́, ac diu cogitanti, qua nam re poſſem

prodesse quamplurimis, ne quando intermitterē consulere reipublicæ, nulla maior occurrebat, quam si optimarum artium uias traderem meis ciuibus: quod compluribus iam libris me arbitror consecutum. Nam & cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiæ studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius: & quod genus philosophandi minime arrogans, maximeq́ & constans, & elegans arbitraremur, quatuor Academicis libris ostendimus. Cumq́ fundamentum esset philosophiæ positum in finibus bonorum & malorum, perpurgatus est is locus à nobis quinque libris, ut, quid à quoque, & quid contra quemq́ philosophum diceretur, intelligi posset. Totidem subsecuti libri Tusculanarum quaestionum res ad beate uiuendum maxime necessarias aperuerunt: primus enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de ægritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat: docet enim ad beate uiuendum uirtutem se ipsa esse contentam. Quibus rebus æditis tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quæ-

ſtio continetur, quæ, ut plena eſſet, cumulateq́ per fecta, de diuinatione ingreſſi ſumus his libris ſcribere; quibus, ut eſt in animo, de fato ſi adiunxerimus, erit abunde ſatisfactum toti huic quæſtioni. Atque his libris annumerandi ſunt ſex de republica, quos tum ſcripſimus, cum gubernacula reipublicæ teneremus, magnus locus, philoſophiæq́ proprius, à Platone, Ariſtotele, Theophraſto, totaq́ peripateticorum familia tractatus uberrime. Nam quid ego de conſolatione dicam? quae quidem mihi ipſi ſane aliquantum medetur, cæteris item multum profuturam puto. Interiectus etiam eſt nuper, quem ad noſtrum Atticum de ſenectute miſimus. Imprimisq́, quoniam philoſophia uir bonus efficitur, & fortis, Cato noſter in horum librorum numero ponendus eſt. Cumq́ Ariſtoteles, itemq́ Theophraſtus, excellentes uiri cum ſubtilitate, tum copia cum philoſophia dicendi etiam præcepta coniunxerint, noſtri quoq; oratorij libri in eundem numerum referendi uidentur. ita tres erunt de oratore, quartus Brutus, quintus orator. Adhuc hæc erant, ad reliqua acri tendebamus animo, ſic parati, ut, niſi quae cauſa grauior extitiſſet, nullum philoſophiæ

locum esse pateremur, qui non latinis literis illustratus pateret. Ex his ergo elici posse uidetur, primum locum à M. Tullio attributum esse hortensio, secundum libris academicarum quaestionum, tertium libris de finibus, quartum libris tusculanarum, quintum libris de natura deorũ, de diuinatione & de fato, sextum libris de republica. Libros officiorum, de legibus, & quosdam alios tacite uidetur reicere fortasse, ut plerique uolunt, ad postremam huius à se conscriptæ philosophiae partem. Ad haec autem, quae in aliquã dubitationem uidentur adducere, quae diximus, disoluenda, illud pro certo tenẽdum est, M. Tullium in eum usque diem, quo die libros de diuinatione conscripserat, nec tres de officiis, aedidisse, nec dialogum de amicitia, nec paradoxa. Quare eos, quos iam emiserat, partim distincte, partim confuse ita recensuit, ut ex eius enumeratione audiuimus. Cum uero postea his addidisset & tres de officijs, & de amicitia, & paradoxa; animaduertissetq́, libris officiorum non esse attribuẽdum doctrinae ordine extremum, aut penultimum locum inter libros philosophiae humanae, & ciuilis, sed quasi medium inter libros de finibus, &

libros tusculanarum quaestionum, in principio primi libri officiorum adducit eam differentiam, ut antea quoque admonuimus, qua distribuat officia in ea, quae pertinent ad finem bonorum; & in ea, quae pertinent ad praecepta, et ad institutionem uitae communis, ex qua distinctione conijcitur, libris officiorum eum dedisse locum, qui succedit libris de finibus, indeq́; secundam diuisionẽ addidisse, ut officiorum diceret alterum genus esse medium, alterum esse perfectum, ad ostendendum, eosdem libros officiorum de medio officio esse anteponendos libris tusculanarum quaestionum, in quibus pertractauit de perfecto officio. ex quo efficitur M. Tullium doctrinae ordine praeposuisse libros officiorum libris tusculanarum, & si ordine temporum essent longe posteriores. Sed hanc nostram responsionem uidentur M. Tullij Ciceronis uerba leuiorem reddere libro quarto quaestionum tusculanarum: Scire, inquit, admodum nos oportet, cognitis, quoad possunt ab homine cognosci, bonorum, & malorum finibus, nihil à philosophia posse aut maius, aut utilius optari, quam haec, quae à nobis hoc quatriduo disputata sunt, ex qua authoritate, aliquis fortasse crede

ret, libros tusculanarum proxime sequi post libros de finibus: ut eos etiam ipse M. Tullius enumerauit in secundo de diuinatione. Huic ego rursus non grauate respondeo, hoc ea ratione a M. Tullio in quarta tusculana dictum fuisse: quia nondum ædiderat libros tres de officijs, quibus postea scriptis, quis locus eis deberetur, non obscure significasse in diffinitione, & diuisione officij, quemadmodum iam demonstrauimus. præterea et si pro certo affirmauit M. Tullius, nihil posse maius, aut utilius optari cognitis bonorũ finibus, quam ea, quæ in tusculanis disputata sunt, non ideo tamen uoluit tusculanarum libros libris officiorum esse anteponendos. Nam & nos cum M. Tullio hoc idem fatemur, post libros de finibus libros tusculanarum, cum pertractent de perfecto officio, esse longe utiliores libris officiorum, qui sunt de medio, communi, & inchoato officio: sed tamen non concedimus ex hoc cõtinuo sequi, esse etiam doctrinae ordine postponendos, imo contrarium consequi iudicamus, hoc est inchoata, et communia officia, priora & natura, & doctrinæ ordine esse oportere perfectis officijs, cum nos disponant ad perfecta: ad eaq; nos quasi manudu-

cant, uiamq́; aperiant. Vbi enim quid inest & inchoatum, & absolutum atque perfectum, semper inchoatum sit initium ad absolutum, & ad perfectum, cum inchoatum sit quaedam progressio ad perfectum, quod aperte docuit idem M. Tullius libro primo academicarum quaestionū, cum sub his uerbis philosophiam ipsam diuideret: In philosophia, inquit, quod inchoatum est, neque absolutum, progressio quaedam ad uirtutem appellatur, quod autem absolutum, id est uirtus, quasi perfectio naturae, omniumq́; rerum, quas in animis ponunt, una res optima. Quis igitur unquam neget, libros tusculanarum: cum tractent de perfecto officio, hoc est de solida actione uirtutis, esse post finium cognitionem utiliores, & optabiliores libris officiorum, in quibus agitur de inchoata actione, & de progressione ad perfectum officium? & quis rursus non uideat, officia inchoata esse priora, & natura, & docendi ratione, & ordine, & si dignitate, & utilitate sint posteriora. nam, ut etiam inquit Aristoteles, in omni scientia, quae habet principia, in ea ab ipsis initijs est inchoandum: tunc enim unam quamque rem scire putamus, cum causas primas, princi-

piaq; prima, & usque ad elementa cognoscimus. Si igitur inter se comparentur officium medium, & officium perfectum, certe medium erit initiū ad perfectum: unde etiam appellatur inchoatum, & ut consequitur, erit quoque primo loco explicandum natura, ut diximus, & doctrinae ordine. Quod si quis fortasse non consentiat communia hæc, & inchoata officia, hoc est tres de medio officio libros esse progressionem ad perfecta officia, & ad libros tusculanarum, quos nam alios statuemus humanae philosophiae a M. Tullio traditæ libros, qui sint huiusmodi progressiones ad perfecta officia? Sed ex his, quæ diximus posset adhuc aliquis libros tusculanarum libris de officijs ingeniose anteponendos iudicare, cum hoc idem præstiterit, & Aristoteles grauissimus author, qui in libris Ethicorum antea de perfectis uirtutum omnium habitibus, atque inde de continentia, & tolerantia pertractauerit, quae sunt inchoatæ quædam uirtutes; atque eam habent proportionem, & comparationem ad perfectos uirtutum habitus, quam habent media officia ad perfecta, atque absoluta. Verum animaduertendum est, eam causam, quæ iure, meritoq; Ari-

stote-

ſtotelem impulerit ad poſtponendam tractationem continentiæ, & tolerantiæ ei, quæ eſſet de perfectis uirtutum habitibus, apud Ciceronem nullum omnino habuiſſe locum. Ariſtoteles enim ad hoc naturæ ordinem mutauerat: quia ad integram cognitionem continentiæ, & tolerantiæ, ut apparet ex primis decem capitibus ſeptimi libri ethicorum, requirebatur notitia prudentiæ, ſcientiæ, opinionis, ſolertiæ, quæ ſunt, aut uirtutes intellectiuæ, aut partes uirtutum intellectiuarum, de quibus erat prius explicandum. nihil autem quicquam impediebat M. Tullium a recto doctrinæ, & naturæ ordine. Uterque igitur prudentiſſime, ſed alter altera de cauſa proprium ordinem continuaſſe exiſtimari debet. Ex his igitur, quæ diximus, nemini dubium eſſe arbitror, M. Tullij conſilium fuiſſe, etiam dum de finibus perſcriberet, ut poſt libros de finibus, de officiis; primo, de mediis; deinde, de perfectis coniunctim pertractaret. Neque enim in libris de finibus unquam de fine bonorum uerba fecit, quin fere ſemper de officiis ſimul meminerit; & cum officia aut diffiniuit, aut diuiſit, nunquam non ea retulit ad finem bonorum, & ad illud naturæ humanæ conue

nienter uiuere, quod utrunque aperte indicat, eũ, cum de finibus ageret, sibi iam proposuisse continuo officiorum pertractationem; et cum de officiis dissereret, præsetulisse id se exequutum, quod multo ante decreuerat, cum de disponenda, atq; aptanda uniuersa hac philosophia cogitaret. huius modi autem horum librorm continuationem non attingit in proemio secundi libri de diuinatione, cum in eo de ordine, quem sibi omnino statuisset in distribuenda hac tota philosophia, minime ageret, sed de numero eorum librorum, qui a se ad eum usque diem æditi fuissent, inter quos certe non continebantur tres de medio officio, generatim de officiis inscripti, & si de iis conscribendis iampridem in animo habuißet. Libris uero de legibus eum ordinem assignauit, qui post libros de republica sequeretur. eos uero, qui economici nuncupantur, non est dubium sequi post libros de legibus, cum & apud Aristotelem, ut supra abunde ostendimus, quem in ordine doctrinae ducem sequitur M. Tullius, eundem gradum obtineant ad faciliorem huiusce partis filosophiae cognitionem. debent enim leges, quæ ad familiam pertinent, ut affirmat etiam Aristoteles primo

politicorum, respicere, & sequi leges publicas ciuitatis, tanquam pars totum. Nam quemadmodum M. Tullius in secundo de diuinatione in enumerandis eius libris, non eos recensuit ordine temporum seruato, quo singuli eßent æditi, sed potius quadam doctrinae ordinis habita ratione: ita eum credendum est, postea iudicauisse, quis locus eis, qui inde scripti sunt, singulis deberetur, & cuique proprium praescripsiße, ut illud exequeretur, quod iam erat pollicitus, nullum se relictu rum philosophiae locum, qui latinis literis non illustratus pateret. Neque illud obstat, quod idē libros de natura deorum, de diuinatione, & de fato interposuerit inter libros tusculanarum, & libros de republica. Nam hi certe libri ex numero librorum huius nostrae philosophiae omnino extrahendi sunt, & ad aliud philosophiae genus referendi, quod aperte colligitur ex propriis eius uerbis, cum de his subscribens dixit: Quib. rebus aeditis tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus eius loci questio continetur, quae, ut plene esset, cumulateq; perfecta, de diuinatione ingressi sumus his libris scribere, quibus, ut est in animo, de fato si adiunxerimus, erit

abũde satisfactum toti huic quaestioni, in quibus uerbis illud maxime est animaduertendum, hos tres libros ad aliã quaestionem esse relatos, quã ad philosophiam de uita, & moribus, & ad libros, quos iam breuiter enumerauerat. Nam quæ esset ista ignorantia, uel potius dementia? cum meminisset a se pluribus in locis distributam esse philosophiam; in naturæ obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in uitam, atque mores, confundere alteram illius partem, quæ esset de natura rerum cũ altera, quæ esset de uita, & moribus, & commiscere inter libros tusculanarum, & libros de republica libros de natura deorum, de diuinatione, & de fato. Quid .n. habent hi libri commune cum libris tusculanarum, aut cum libris de republica? Quare neque in primo libro de natura deorum, neque in duobus subsequentibus, neque in libris de diuinatione, neque in libro de fato ullum apparet uestigium continuationis cum libris tusculanarum, aut cum ullo alio superiore, uel posteriore. Quamobrem libros de natura deorũ, de diuinatione, & de fato, non doctrinæ ordine M. Tullius post quinque libros tusculanarum quaestionum enumerauit, Quid enim magis incõ

grauum posset excogitari? sed habita ratione perso næ, cui tam libri de finibus, & quaestiones tuscula næ, quam libri de natura deorum, & fortasse libri etiam de republica inscribebantur, ut sub unum quasi corpus conspicienda proponerentur omnia, quæ in philosophia sub M. Bruti nomine ad eum usque diē ædidisset. Sed libros officiorū interiectos doctrinæ ordine inter libros de finibus, & libros tusculanarum, non M. Bruti, sed filij nomine ideo inscriptos ædidit: quia praecepta de medio officio, communi, atque inchoato magis ad M. filium, quam ad M. Brutum, hominem perfectissimum, & ex perfectissimo officio uitam instituentem uidebantur spectare. His igitur libris de natura deorum, de diuinatione, & de fato, ad naturæ philosophiam reiectis, integer ordo relinquitur, quem nos attribuimus uniuersae huic humanae, & ciuili philosophiæ, & ex propriis M. Tullii uerbis aperte probauimus, & confirmauimus. Quod uero libri de officiis, de amicitia, & paradoxorum post reliquos omnes ordine temporum conscripti sint, praeter eiusdem M. Tullii testimonium plurimis in locis, in eodē exordio secundi libri tacite significat, cum inquit lo-

quens de hortensio, de academicis, de finibus, de tusculanis, de senectute, de consolatione, de Catonis laudatione, de republica: Adhuc haec erant, ad reliqua acri tendebamus animo, sic parati, ut nisi quae causa grauior extitisset, nullum philosophiæ locum esse pateremur, qui non latinis literis illustratus pateret. Non est itaque dubitandum, libros de officiis, quos cum reliquis iam commemoratis non enumerauit, fuisse postea conscriptos, & æditos, et post libros tamen de finibus collocatos. Libros de legibus non nominauit in secundo de diuinatione, cũ nihilominus scripti, & æditi eßent tertio fere anno post libros de republica, & ante hortensium, academicas questiones, libros de finibus, & tusculanarum, de natura deorum, de diuinatione: quia illos de legibus libris de republica ita coniunxerat, ut eis nominatis: illi etiam de legibus nominati sub intelligerentur, & sequerentur, quod ex eius coniunctione, & continuatione iam animaduertimus. Quare omnem dubitationem de uniuersae philosophiae a M. Tullio constitutae ordine, ex his, quae hactenus ostendimus, iam sublatam esse arbitramur. Quòd si qui sunt, qui malint michi uniuer

ſam hanc philoſophiae humanae, & ciuilis conſti tutionem, & diſpoſitionem, quam M. Tullio at tribuere , eis ultro etiam gratiam habeo, qui me tam diligētem iudicauerint, ut meis uigilijs in ſtu dioſorum gratiam hos omnes libros, tanquam diſperſa membra in unum quoddam quaſi cor- pus redegerim, eisq; tam diſtincte, niſi fallor, in illuſtri quaſi monumento conſpicienda propoſue- rim. Libelli de virtuibus, qui ceu quædam ſum ma breuis librorum de officiis cenſeri debet, quia nullum extat fragmentum, de eo nihil diximus, neque cum reliquis huius philoſophiae partibus enumêrauimus : praeter inſcriptionē etenim nul lum pene ueſtigium remanſit . Hunc autem ad Ariſtotelis quoque imitationē ſcripſiſſe M. Tul- lius fortaſſe uideri poteſt, qui poſt libros ad Ni- chomachum de moribus, etiam paruum illud o- puſculum de uirtutibus reliquiſſe exiſtimatur. Duos libros de Gloria, ut de his quoqne aliquid dicamus, inter extra ordinarios reponimus, & ſi quidam locum eis doctrinae ordine tribuant in ter libros de republica, & inter libros de legibus, poſtaquam ſcipio AEmilianus uerba fecit in ul tima parte ſexti libri de praemiis eorum , qui

rempublicam optime gubernarint, auxerint, & defenderint. Sed cum libros de republica ita coniunctos cum libris de legibus ex continuatione eiusdem M. Tullij demonstrauerimus, ut nihil omnino medium esse possit, non uideo, qua ratione iste locus his libris debeatur. Quod autem libri de legibus, ita coniuncti sint cum libris de republica, ut nihil medium possit interijci, ex eius uerbis supra etiam citatis ex primo de legibus planum fit, cum inquit, post libros de republica consequens esse, ut idem ipse scribat de legibus. praeterea nemini uerisimile fit, posteaquam copiosissime pertractasset M. Tullius ultimo de republica libro, quanta cum grauitate poterat, sub persona scipionis de gloria contemnenda, ut idem de eadem egisset libris duobus subsequentibus, tanquam de praemio reipublicae moderatori proposito. Minus igitur incongrue ij certe sentiunt, qui opinati sunt, hos duos libros succedere quinque libris de legibus, tanquam de premio, & fine proposito homini ciuili, hoc est ei, qui uixerit secundum praecepta ab eo his omnibus libris tradita. Sed horum quoque sententia non admodum probatur, cum iam huic uiro ciuili in libris

de

de finibus premium proposuerit summum illud bonum, & felicitatem, & hominis perfectionem, & illud naturæ humanæ conuenienter uiuere. Quid igitur opus erat alio proposito fine? Quod si gloriam, ut hominis ciuilis finem, proposuisset, de eaq́; ultimo loco pertractasset, usus certe fuisset præpostero ordine, quam huic philosophiæ parti conueniret. finis enim primo omnium erat explicandus, cum sit principium in cognitione, & actione: quemadmodum licet etiam uidere apud Aristotelem. Quamobrem, ut uerum fatear, hi libri, potius uidentur inter extraordinarios collocandi, quam in hunc ordinem philosophiæ, quem nuper attulimus, redigendi. Librum de Auguriјs, & librum de Vniuersitate cum libris de natura deorum, de diuinatione, & de fato coniungimus, sub alterum quasi corpus philosophiæ, ut rerum ordinem ordo quoque librorum cōseruaret, reliquos uero, præter oratorios, inter extraordinarios reponimus. Sed non sum nescius etiam nonnullos, eosq́; non admodum indoctos totum hunc ordinem horum librorum, tanquam à Marco Tullio nunquam excogitatum, grauiter improbaturos, cum is in constituendo bonorum fine,

se peripateticorum sententiam, at in libris officiorum, & ita pariter in libris tusculanarum quaestionum, & in paradoxis, se potissimum stoicos secutum affirmet. Neque enim posse uidentur officia secundum stoicos, qui ponebant summum bonum in sola uirtute, aptari ad finem peripateticorum, qui ponebant summum bonum in bonis animi, corporis, & fortunæ. Totam hanc quaestionem disoluit breuiter ille ipse pluribus in locis, apertissime demonstrans, hos omnes philosophos re inter se conuenire, uerbis tantummodo disside re. unde hanc de officijs præceptionem ait esse propriam communiter stoicorum, academicorum, & peripateticorum, affirmatq; in tradendis officijs, se allaturum ea, quæ non multum essent a peripateticis dissidentia. Hanc academicorum, peripateticorum, & stoicorum conspirationem, & similitudinem non obscure declarat in academicis inquiens: Alter: qui reliquit perfectissimam disciplinam peripateticos, & academicos, nominibus differentes, re congruentes, à quibus stoici ipsi uerbis magis, quam sententijs dissenserunt, & in altero libro loquens de academicorum, & peripateticorum disciplina sub his uerbis: Quæ qui-

dem erat primo duobus, ut dixi, nominibus una. Nihil enim inter peripateticos, & illam ueterem academiam differebat. abundantia quadam ingenij praestabat, ut mihi uidetur, Aristoteles, sed idem fons erat utrisq;, & eadem rerum expetẽdarum, fugiendarumq; partitio, & paulopost: Atque haec illa sunt tria genera, quae putant plerique peripateticos dicere, id quidem non falso: est enim haec partitio illorum, illud imprudenter, si alios esse academicos, qui tunc erant, alios peripateticos arbitrabantur. Vnde etiam in quinto tusculanarum ait, stoicos eundem putare bonorum finem, quem et academici, & peripatetici, hoc est naturae congruere, & cum ea conuenienter uiuere, sed qui in fine consentiunt, non possunt in officijs tradendis, in republica, & in legibus constituendis esse diuersi, & in quinto de finibus, cum sub persona Pisonis, qui peripateticorum partes tuebatur, sic inquit: Stoici restant, hi quidem non unam aliquam, aut alteram nobis, sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt, atque ut reliqui fures earum rerum, quas cœperunt, signa commutant: sic illi, ut sententijs nostris prorsus uterentur, tanquam rerum notas mutauerunt.

Vnde quarto libro de finibus quam plurimis uer bis contra stoicos pro peripateticis grauiter inuehitur, quod de rebus à peripateticis nihil, sed mo dum tantum uerborum moueant, docetque, nihil interesse, si diuitias, opes, ualetudinem bona dicãt peripatetici, stoici uero præposita, cum peripatetici, qui ista bona dicunt, nihil plus his tribuant, quam stoici, qui præposita appellant. Hinc ait in ultimis uerbis quinti libri tusculanarum quæstio num, stoicorum, & peripateticorum de summo bono controuersiam a Carneade, tanquam ab ho norario arbitro iudicatam, uerbis, non re differentem, cum nihili plus peripatetici tribuerent diuitijs, bonæ ualetudini, cæterisq; rebus eiusdem generis, quam stoici, ex quo existimasse ait eum nullam causam inter hos, atque illos dissidendi fuisse. Præterea hanc eandem quaestionem idem M. Tullius sub persona auditoris his uerbis pro ponit in quinto libro tusculanarum quæstionum: Quia legi, inquit auditor, tuum nuper quintum de finibus, in eo mihi uidebare contra Catonem differens, hoc uelle ostendere, inter Zenonem, & peripateticos nihil, praeter uerborum nouitatem interesse. Quod si ita est, quid est causæ, quin si Ze

nonis rationi consentaneum sit, satis magnam uim in uirtute esse ad beate uiuendum, liceat idē peripateticis dicere, & aliquanto post in eodem libro sub persona eiusdē auditoris: Sed à te impetrarem libenter, quod paulo ante peripateticos, ueteremq́ academiam hortari uidebare, ut sine retractatione libere dicere auderent, sapientes esse semper beatissimos, id uelim audire, quemadmodum his putes cōsentaneum esse haec dicere: multa enim à te contra istam sententiam dicta sunt, et stoicorum ratione conclusa. Hanc omnem quaestionem per totum reliquum quintum librum disoluit, ostendens, quaecunque dissentientium horum philosophorum sententia sit de finibus, eos uerbis differre, re autem ipsa conuenire, cum omnes communiter asserant uirtutem satis habere ad beatam uitam praesidij, minimum fortunā, quod, qui affirmant, non possunt ualde in officijs constituendis, & in reliquis rebus differre. Neque illi audiendi sunt, qui M. Tullio obiiciant, cum iam genus philosophandi sibi statuerit academicorum, qui omnem scientiam tollebant, quod de officijs firma, & stabilia praecepta tradat, quod scripti genus ex altera parte confirmare ui

detur eſse aliquam rerum ſcientiam contra academicorum decreta, hoc unum a ſe ſciri, quod nihil ſcirent, apertisſime diſputantium. His horũ obiectionibus ipſe quoque M. Tullius breuiter reſpondet in proemio ſecundi libri officiorum, eas ſub his uerbis & referens, & diſtinguens. Occurritur autem nobis equidem a doctis, et eruditis, quaerentibus, ſatis ne cõſtanter facere uideamur, qui, cum praecipi nihil poſse dicamus, tamen & alijs de rebus diſſerere ſoleamus, & hoc ipſo tempore praecepta officij perſequamur. Quibus uellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia: non enim ſumus hi, quorum uagetur animus errore, nec habeat unquam, quid ſequatur. Quae enim eſſet iſta mens? uel quae uita potius, non modo diſputandi, ſed etiam uiuendi ratione ſublata? Nos autem, ut caeteri, qui alia certa, alia incerta eſſe dicunt: ſic ab his diſſentientes, alia probabilia, alia contra improbabilia dicimus. Quid eſt igitur, quod me impediat, ea, quae probabilia mihi uidentur, ſequi, quae contra improbare, atque affirmãdi arrogãtiam euitare, fugere temeritatem, quae a ſapientia disſidet plurimum. Hoc idem affirmat & in primo de natura deorum, cum inquit:

Non enim sumus ij, quibus nihil uerum esse uideatur, sed ij, qui omnibus ueris falsa quaedam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa iudicandi, & assentiendi nota. Sed dimittamus haec huiusmodi, cum apud eos, qui aliquid sapiunt, & in libris huius philosophiae uersati sunt, nullius sint ponderis, atque authoritatis, & ad eam, quae relinquitur, disputationem reuertamur. Erunt itaque etiam, qui negent à M. Tullio hanc seriem, & hanc librorum philosophiae continuationem seruatam, ac custoditam, quod ille minime scripserit haec omnia uolumina unum, post aliud, eo ordine temporum, ut nos uidemur ostendisse, quibus breuiter responsum uolumus, nihil interesse, hunc, an illum librum prius confecerit, dummodo illi ipsi, & natura, & doctrinae ordine, & argumenti quadã serie, & affinitate, tanquam coherentia cum toto corpore membra esse uideantur. haec autem eorum obiecta sunt communia M. Tullio cum Aristotele, cuius libri alio temporum ordine aediti sunt, alio doctrinae, & methodi ordine continuati, & collocati. Constat enim librum de motione animalium longe posteriorem esse doctrinae ordi-

ne libris de cœlo, & tamen ab eo adduci, & citari secundo de cœlo, ut a se antea perscriptum. Neq; dubium est, libros de phisico auditu esse priores libris de generatione, horum tamen philosophum meminisse in fine penultimi capitis primi libri de phisico auditu, cum inquit: Dici autem haec possunt potentia, et actu, hoc autem alijs in locis magis exacte determinauimus, in libris scilicet de generatione, ut manifestum est, & omnes fere interpretantur, aut dicamus in libro ailquo alio certe posteriore, cum libri phisicorum omniū consensu primum locum obtineant in philosophia naturae. saepe enim fit, ut quod futurum est postremum, in uniuersa pertractatione, magis sit in promptu, ut ab eo capiamus scribendi initium, et quod primum est natura, ultimo loco a nobis pertractetur, quemadmodum etiam statuarijs quandoque euenire uidemus, qui non semper a capite formando, sed modo ab uno membro, modo ab alio sumunt operis sui initium, etsi postea omnibus partibus simul iunctis, & tota statua perfecta, caput primum appareat, pedes ultimi, reliqua in medio. Quare, et si libri de republica scripti sunt ante libros de finibus, & ante libros tu-

scula-

culanarum, unde ab eo in eis citantur, nihilominus doctrinæ ordine in secundo de diuinatione his omnibus postpositi, & enumerati sunt, non seruata temporum continuatione, a qua omnis huius philosophiæ ordo pœnitus peruerteretur, & confunderetur. Nam quis non uideat, quanta perturbatio in hac parte philosophiæ continuanda futura sit, si primo, ut scripti sunt, tres libri economicorum, libri sex de republica, & de legibus, Catonis laudatio, libri de consolatione, atque deinde hortensius, academicae quaestiones, libri de finibus, ac postremo libri tusculanarum, dialogus de senectute, de amicitia, & tres de officijs, & paradoxa constituantur? Uerum ex hac dispositione, & collocatione, quam nos attribuimus libris M. Tullij Ciceronis de uita, & moribus, potest oriri non indigna quæstio, quem nam ille potissimum ex antiquis philosophis in uniuersa hac philosophia humana, & ciuili tradenda, & ordinanda imitatus sit: Nam ex altera parte in academicis sibi ait academicos proposuisse. in libris de finibus sequi uidetur opinionem peripateticorum. in libris officiorum se Panetium imitari profitetur. in libris de legibus, & de republica si-

bi inquit comitem adhibuisse Platonem. Economicos ad uerbũ se a Xenophonte desumpsisse affirmat. Ex altera uero parte pter cæteros solũ Aristotelem sibi imitandum delegisse ordo ab ipso diligenter seruatus, & res ipsa tacite loquitur. Ut enim in philosophia actiua instituenda Aristoteles exorditur à summi boni, & felicitatis pertractatione, inde ad uirtutes explicandas descendit tum perfectas, tum disponentes, tum etiam heroicas; hinc ad duos libros de amicitia, ac denique ad decẽ libros de republica, & de legibus; & postremo ad duos economicorum: ita hunc eundẽ pene ordinem uidetur secutus M. Tullius, cum legitimam huius philosophiæ pertractationem post hortensium, & academicas quaestiones auspicaretur à quinque libris de finibus bonorum & malorum, accedens ad libros de medio officio, de perfecto, de amicitia, qui respondent ijs, quæ Aristoteles pertractauit de dispositione uirtutum, hoc est de continentia, & tolerantia, de perfectis uirtutum habitibus, de uirtute heroica, de amicitia: & tandem deuenit ad sex libros de republica, quinque de legibus, tres de re familiari. Perspicuum igitur est, nullum alium hac in re magis

imitandũ sibi ꝓposuisse, quam ipsum Aristotelẽ. Neque enim huiusmodi ordinem, tam distinctũ in ijs rebus pertractandis, neque apud Platonem, neque apud Xenophontem, neque apud quẽ quam alium antiquorum philosophorum inueniemus. Quid igitur dicendum est? id, quod certe est uerissimum, M. Tullium in hac, atque in illa parte; in hac, atque in illa sententia modo imitatum stoicos, modo academicos, modo Panetium, modo Platonem, modo Xenophontem, in ordine autem doctrinæ, ac methodo, in disponenda, & constituenda uniuersa hac humana, & ciuili philosophia solum sibi Aristotelem, parentem, & magistrum ordinis, & methodi semper ante oculos habuisse. quinimo in libris de republica, & de legibus, in quibus apertissimis uerbis fatetur, se Platonem sequi, ex re ipsa magis sine dubio Aristotelem imitari uidetur. Plato enim duas respublicas formauit, alteram in libris de republica, alteram in libris de legibus. neque in horum librorum altera parte rempublicam formauit, in altera ei leges imposuit. Aristoteles uero ipse & optimam rempublicam instituit, & à se institutæ leges accommodauit, ut apparet cum e re ipsa, tum

etiam ex eius propositione in ultimo capite decimi libri ethicorum, in quo, posteaquam pertractauit de summo bono, & de felicitate, pollicetur, se pertractaturum in reliquis sequentibus octo libris politicorum, & duobus economicorum ad perficiendam uniuersam humanam philosophiam de re publica, & de legibus tam publicis, quam familiaribus. & quis non uidet à M. Tullio libros officiorum ad M. filium institutos fuiße ad imitationem decem librorum de moribus, quos idem Aristoteles pariter Nichomachi nomine fily nuncupauit? unde etiam eos nõ scripsit in dialoghis, ut reliquos fere omnes, sed ea ratione, qua Aristotelem quoque ipsum in decem libris ethicorum fecisse animaduerterat. Hunc itaque ordinem tam naturalem, tam uerum, tam necessarium, & à præstantissimo philosophorum omnium principe ad unguem desumptum, & tam clarissimis testimonijs cõprobatum, homines eruditissimos, et præclarissimos neglexiße summopere admiror. Nam cum in his libris summa cum diligentia cõplura loca uetustate corrupta ex tenebris antiquitatis eruerint, alia explicauerint, ac quædam præclara etiam in lucem protulerint, quid eße

causæ putem, quamobrem in ordine doctrinæ perscrutando, tam parum elaborauerint? qua quidē in re omnis splendor horum librorum, & dignitas, & philosophiæ fructus continetur, quo sublato, certe philosophia non erit, sed philosophiæ quædam indistincta confusio. Quæ enim continuatio? Quæ methodus? Quis doctrinæ ordo? Quæ docēdi uia, et ratio sumi ex horum librorum lectione potest? si in hac philosophiæ parte libri de legibus ante libros de finibus, aut ante libros de officijs constituantur, aut si libris de officijs, qui sūt de medio, communi, & inchoato officio, præponantur libri tusculanarum, qui sunt de perfecto officio, aut si paradoxa extorqueantur a libris tusculanarum? Quam coniunctionem habent libri de natura deorum, de diuinatione, & de fato cū libris tusculanarum, aut cum libris de republica, hoc est cum somnio Scipionis, si doctrinæ, & legendi ordinem consideremus? Quis ferre poterit hanc philosophiæ perturbationem, uel potius euersione? sed ut ad id, unde digressi sumus, iam reuertamur, cum ea, quae contra nostrā de dispositione, & serie horum librorum sententiam obijciantur, nō sint eiusmodi, ut ab ijs, qui de hac re

non iniqui ſint iudices, improbari posſint, ſole ipſo clarius, ut ita dicam, & illuſtrius eſſe arbitror, quo ordine diſponi, ac legi debeat uniuerſa haec philoſophia a M. Tullio grauiter, & copioſe tractata: utinam eam integram haberemus, aut ſaltem non tam laceratam iniuria temporum. Huic tam graui malo mederi tamen aliqua ex parte poterimus, ſi ad ea, quæ huic philoſophiae parti annorum uetuſtate amiſſa deerunt, aliquid ſimile eiuſdem argumenti aut ex Platone, aut ex Ariſtotele, aut ex Xenophonte, aut ex aliquo alio illuſtri, & erudito uiro adiunxerimus. Eius libri, qui nuncupatur Hortenſius, deſiderium æquiore animo certe feremus, ſi Iacobi Sadoleti, Cardinalis amplisſimi, atque omni doctrina perpoliti libellũ de laudibus philoſophiæ plegerimus. Ad librũ de cõſolatione accedet Boetij uiri ſapientisſimi pene eadẽ ptractatio de cõſolatione philoſophica, ĩ qua eum plura ex Cicerone ſibi deſumpſiſſe uerisſimile eſt. Locum librorum de republica, & de legibus uacuum complebunt libri Platonis de eadem re, & Ariſtotelis libri politicorum, & Gaſparis Contareni Cardinalis amplisſimi libri de Republica Veneta. Economicas diſputatio-

nes a M. Tullio conscriptas, siquis Xenophontẽ legerit, non admodum desiderabit. Sed erit etiã longe utilissimum in reliquis M. Tullij Cic. libris, qui ad nos peruenerunt, perlegendis, eorũ libros conferre, quos ille uel imitatur, uel imitari se ꝓfitetur. Libris de finibus accedat Phileb. Platonis, & primus ethicorum Aristotelis. Libris de officio tum medio, tum perfecto addatur secũdus, tertius, quartus, quintus, sextus, & septimus ethicorum, & Platonis dialogus de eo, quod sit agendum. Disputationi de amicitia Lisis Platonis, & octauus, & nonus ethicorum. Cum dialogo de senectute adhibeatur Platonis primus de republica, magna ex parte quasi ad uerbum a Cicerone conuersus. Cum somnio Scipionis conferatur ultimus Platonis de republica, ubi Erum militem e morte reuiuiscentem facit, & eadem pene referentem, quæ retulit M. Tullius sub persona Scipionis. In legendis libris de legibus addamus Platonem in libris pariter eiusdem argumẽti, & Aristotelem in quinque ultimis capitibus septimi, & in toto octauo politicorum. Hac enim ratione hunc, et illum inter se comparantes, eorũ uirtutes apertius intuebimur, iudicium in senten

tiis, rationemq; in aptandis ad sua tempora perscrutabimur. Quæ omnia harum rerum studiosis maximum afferent emolumẽtum. Verum his generatim breuiter de serie totius humanae philosophiae, a M. Tullio constitutae explicatis, atque aliorum exclusis, eiectisq; sententiis, uideamus etiam ordinem, quo unum quenque horum librorum sigillatim distinxerit, & ut ab eo, qui Hortensius nuncupatur, exordiamur: non ignorandum est in duas diuisum esse partes. prior continet, quæ contra philosophiam sub persona Hortensii sunt disputata. posterior, quæ pro ea a M. Tullio cõtra Hortensii disputationem allata sunt. priorem Hortensii disputationem apparet induas quoque alias sub diuisam esse particulas; in quarũ altera ille uituperabat, in altera accusabat philosophiã; et M. Tullij, et Catuli responsionẽ in totidẽ alias, in quarum altera ille defendebat, in altera cũ Catulo collaudabat philosophiam contra Hortensium. Hæc distinctio huius libri, quem in uniuersa Ciceronis philosophia modum proemii obtinere docuimus, sumitur ex eius uerbis, etiam supra citatis in primo de finibus, cum inquit: Quanquã philosophiae quidem uituperatoribus satis respon

sum

ſum eſt eo libro, quo a nobis philoſophia defenſa, & collaudata eſt, cum eſſet accuſata, & uitupe-rata ab Hortenſio. Quod autem M. Tullius hoc libro philoſophiam una cum Catulo collauda-uerit, patet ex uerbis Lactantij firmiani, qui affir mat ſe hoc uidiſſe in hortenſio, cum inquit libro ſexto capite ſecundo: Apud Ciceronem Catulus in hortenſio philoſophiam rebus omnibus præfe-rens, malle ſe dicit uel unum paruum de officio li bellum, quam longam orationem pro ſeditioſo ho mine Cornelio. Differt autem accuſatio à uitupe ratione, & defenſio à collaudatione, quod accuſa tio, & defenſio crimen, condemnationem, & ab-ſolutionem ſibi proponunt; laudatio, & uitupera tio tantummodo demonſtrationem. Accuſatã autem philoſophiam ab Hortenſio intelligo, ſi ille, exempli gratia, mittendos fortaſſe in exilium phi loſophos, aut philoſophiam ipſam contenderit, aut philoſophorum multa crimina, & uitia ac-cuſauerit, contraq́; eorum mores acerrime inue ctus fuerit, aut quippiam ſimile. Libros quatuor Academicarum quæſtionum non eſt facile in pro prias partes diſtinguere, cum nihil ex his fragmẽ tis duorum librorum conijcere potuerimus: puto

tamen in tres disputationes commode separari posse; in eam scilicet, quæ dogmata academicorum recenseret de rebus, quæ pertinent ad disserendi rationem; in alteram, quæ decreta eorundem describeret de rebus natura constantibus; et in tertiam, quæ illorum sententias exponeret de ea philosophiæ parte, quæ est de uita, & moribus. Libri de finibus distribuuntur in tres præcipuas partes, hoc est in tres præcipuas, & discrepantes opiniones de summo bono; in eam, quæ, cum esset facilior, & communior, & omnibus notissima, primum locum sibi uendicauit, complexa sẽtentiam epicureorum, qui ponebant summum bonum in sola uoluptate; in alteram, quæ continet sententiam stoicorum, qui ponebant summũ bonum in sola uirtute; & in tertiam, quam ipse approbauit, peripateticorum, qui ponebant summum bonum in naturæ humanæ conuenienter uiuendo, hoc est in bonis animi, corporis, & fortunæ. Hanc diuisionem horum librorum ipse agnoscit libro tertiodecimo epistolarum ad Atticum, quando inquit: ita confeci quinque libros de finibus, ut epicurea L. Torquato, stoica M. Catoni, peripatetica M. Pisoni daremus. Epicuri

diſputatio ſubdiuiſa eſt in duas alias partes, hoc
eſt in primum, & ſecundum librum de finibus. in
primo ſub perſona L. Torquati allata, & defen-
ſa eſt eius ſententia. in ſecundo ſub perſona pro-
pria M. Tullij improbatur, & confutatur. Al
tera quoque pars ſubdiuiſa eſt in tertium, &
quartum librum. in tertio ſub perſona M. Cato-
nis adducitur, & defenditur ſententia ſtoico-
rum. in quarto horum quinetiam opinio ſub per-
ſona propria Ciceronis, tanquam non undique ꝑ-
fecta refellitur, & coarguitur. Tertia parte, quæ
coniecta eſt in quintum librum, ſub perſona M.
Piſonis proponitur, et confirmatur ſententia pe-
ripateticorum, qui ut paulo ante etiam diceba-
mus, cenſebãt ſummum hominis bonum poſitum
eſſe in naturæ humanæ conuenienter uiuendo,
quam ſecutus eſt ipſe Cicero: nam ſuper horum
opinionem, tanquam ſupra ualidisſimum, & fir
misſimum fundamentum, extruit omnem philo-
ſophiam, et dirigit omnia officia in libris ſequen
tibus officiorum, ut apparet ex quarto capite pri
mi libri, in quo omnes ex uirtute actiones à na-
tura ipſa, tanquam à proprio fonte deriuat, ita ut
eas obſeruare, ex eisq; agere nihil aliud exiſtimet,

quam ex lege naturae uiuere, & naturae humanae conuenientia praestare. Hoc idem facit & non multo post in eodem libro, de officio ex decoro uerba faciens: Officium autem, inquit, quod ex decoro ducitur, hanc primam habet uim, quae deducit ad conuenientiam, conseruationemque naturæ, quam si sequemur ducem, nunquam aberrabimus, sequemurque id, quod acutum, & perspicax natura est, & paulo post: Nos autem naturã sequamur, & ab omni, quod abhorret ab oculorum, auriumque approbatione, fugiamus. Officiorum uniuersa pertractatio ex sententia Ciceronis contra diuisionem Panetij in quinque partes distribuitur. prima est de Honesto. secunda est de Honestorum comparatione. tertia de Vtili. quarta de Vtilium inter se comparatione. Quinta est de comparatione Honestatis, & Vtilitatis. In dialogo de Amicitia, quem libris officiorum annecti posse, tanquam appendicem iam demonstrauimus, tres insunt partes. in prima sub persona Lelij ostendit, quid sentiat de amicitia, in secunda disputat de ortu, & interitu amicitiæ, in tertia subdit officia in amicitia obseruanda, quatenus amor progredi in ea debeat, de consilijs, & au

thoritate amicorum, & postremo de finibus, & terminis amicitiæ. Alter dialogus de Senectute, quem cum superiore coniunximus, has habet partes, proemium, propositionem confutationem, & perorationem. Confutatio, quæ totam pene huius rei disputationem complectitur, subdiuiditur in quatuor particulas. primum exagitatur eorum opinio, qui dicebant, miseram uideri senectutem, quod nos auocet à rebus gerendis. secundo ij refelluntur, qui existimabant, eam corpus reddere infirmum. Tertio improbatur eorum sententia, qui senectutem spoliabāt omnibus uoluptatibus. quarto disseritur contra eos, qui opponebant senectuti, quod non procul esset à morte. in consolatione, in qua sui ipsius dolorem ex obitu filiæ mitigat, ut ex eius fragmentis collegit Sigonius, antiquitatum obseruator diligentissimus, & huius nostrae ætatis, & bonarum literarum ornamentum, & lumen, primum miserias hominum deplorat, quasi luendorum scelerum causa in hac uita prodierint, affirmat tamen omnia leuiter esse ferenda, cum his nos calamitatibus uno mortis subsidio facile liberemur. Deinde casum filiae acerbissimum multorum clarissimorum uirorū

exemplo leniorem reddit. Tandem de animorum æternitate, & de filia inter deos ad immortalitatis memoriam consecranda, multorum exẽplo, disserit. Tusculanas quæstiones in quinque disputationes partitus est; in primam de contemnenda morte; in secundam, de tolerando dolore; in tertiam, de ægritudine lenienda; in quartam, de reliquis animi perturbationibus; in quintam, de uirtute ad beate uiuendum se ipsa contenta. Paradoxa tot in partes distributa sunt, quot quæstiones infinitae disputandae proponuntur; prima propositio disputanda est, quod honestum sit, id solum esse bonum; secunda est, in quo uirtus sit, ei nihil deesse ad beate uiuendum; tertia est, omnia peccata esse paria; quarta est, omnes stultos insanire; quinta est, omnes sapientes liberos esse, stultos uero seruos; sexta est, quod solus sapiens diues. ex Catonis laudatione tam pauca extant fragmenta, ut in partes aliquas eam ex se ipsa posse diuidi omnino desperandum sit: cum uero affirmet Quintilianus capite nono libro tertio institutionum oratoriarum etiam ex Ciceronis ipsius testimonio, tribus causarum statibus usum fuisse Caesarem in eius contra Catonem uituperatione,

hoc est facti, qualitatis, & diffinitionis: possumus ex Anticatone Caesaris in totidem laudum partes eam distribuere, in quot uidetur Caesar ipse illam distinxisse; in eam scilicet, in quam ea facta Catonis M. Tullius contulerat, quae Caesar Catonis fortasse esse negabat; in alteram, in quã ea coniecerat, quae Caesar disputabat non recte, ac iure facta; et in tertiam, in quam ea reseruauerat, quae Caesar contendebat uirtutis nomine, & appellatione non esse honestanda, qua de re, ita scribit Cicero quoque ipse in topicis ad Trebatium: Nam aut negari potest id factum esse, quod laudatur, aut non eo nomine afficiẽdum, quo laudator affecerit, aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit, quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Caesar contra Catonem meum. Libros de Republica coniectura quadam ex eorum fragmentis, quae diligentissime collegit, & explicauit idem Sigonius, in sex principes partes diuidimus; in quarum prima constituit ciuitatem, in quam, tanquam in rem subiectam & summum bonum, & officia ex uirtute tum media, tum perfecta, et ordo magistratuum, & leges, tam publicae, quã

familiares inducerentur. oportet enim subesse aliquod medium, quod, tanquam materia suscipiat formam, & finem summi boni, & inductionem officiorum, & ordinem magistratuum reipublicae, hoc est perfectam rempublicam, & leges ei accommodatas, quibus diutissime cõseruetur. Scribit itaque prudentissime primo de ciuitate, ut etiam ab Aristotele in politicis factum obseruauit, & coniunctim de urbe: cum ciuitas, hoc est societas ciuilis urbe contineatur, & de ciue, cum ciuitas sit ciuium multitudo, eumq; instituit ad reipublicae à se describendae formam, & rationem. In secunda parte aggreditur pertractationem de republica, eamq; diffinitione circunscribit esse rem populi, iuris consensu, et utilitatis cõmunione sociati; & tunc esse uere rempublicam, cum bene, ac iuste siue ab uno rege, siue a paucis optimatibus, siue ab uniuerso populo gereretur, optimamq; rempublicam constituit eam, quae ex his tribus generibus, regali, optimatum, & populari modice confusa sit. post hanc diffinitionem, & constitutionem reipublicae, considerans illam partem diffinitionis, populi iure sociati, incidit in disputationem de iustitia, & iniustitia, partes iniu

stitiae

ſtitiæ Philo ipſi ſuſtinendas, partes uero iuſtitiæ defendendas Lelio reſpondenti attribuens, quæ diſputatio in tertiam partem tota reſeruata eſt. in quarta parte, quaſi e digresſione habita de iuſtitia, & iniuſtitia ad iam intermiſſam reipublicae diffinitionem, ac quaeſtionem rediens, reliquas eius partes perſequitur, magiſtratuumq́; ordines diſponit, quibus eiuſmodi optima reſpublica nitetur, & ciuium huius reipublicae actiones ad beatam uitam conformat, et dirigit ad illud naturæ humanæ conuenienter uiuendum, quod iam bonorum finem ſtatuerat in libris de finibus. & quoniam huic morum inſtitutioni maximo erāt impedimento poetæ ipſi ſcenici, tum comici, tum tragici, de his quoque agit, eosq́; decernit aut e ciuitate expellendos, aut ab eorum licentia cohibendos. in quintam partem omnem moderatoris, & gubernatoris huius reipublicae inſtitutionem reſeruat, in qua quaeſtione pertractanda totum quintum, et magnam ſexti libri partem conſumit, concludens: ut gubernatori curſum ſecundum, medico ſalutem, imperatori uictoriam: ſic huic reipublicæ moderatori beatam ciuium uitā eſſe propoſitam, ut opibus firma, copijs locuples,

gloria ampla, uirtute honesta sit. Hinc postremo loco in sexta parte hunc gubernatorem a se iam institutæ reipublicæ præmia amplissima consecuturum ostendit, honores, gloriam, statuas monumenta, triumphos, & tandem hac uita functum locum in cælis habiturum, ubi sempiterno æuo perfruatur. atque ita uniuersæ de republica disputationi finem imponit. erit igitur totius huius pertractationis prima pars de ciuitate. secunda de diffinitione reipublicæ. tertia de iustitia, & iniustitia. quarta de optima republica, eiusq; ciuibus. quinta de huius à se institutae reipublicae gubernatoris institutione. Sexta de eius praemijs cum in hac uita in terris, tum etiam post mortem in cælis. Hanc postremam sexti libri disputationem Macrobij beneficio adhuc integram retinemus, in qua sub persona Scipionis differit noster hic uere philosophus: hoc enim nomine magis dignus in hac parte iure ille uideri potest: de animorum immortalitate, de præmijs bonorum, de gloria despicienda, de spe propositæ æternitatis tanta cum grauitate, ac sapientia, tantaq; cum maiestate dicendi, ut nescias, utrum res oratione, an uerba sententijs illustrentur. reliqua huius rei pertra-

ctatio temporum iniuria, & iniquo, atque infelici fato interijt. Librorum quinque de legibus diuisionem: quoniam ultimos libros desideramus: perfectam habere non possumus, ut tamen conijcere aliqua ex parte licet, eos in quatuor partes diuidimus, ut etiam à Sigonio diuisos iam animaduertimus; in eam, in qua de uniuerso iure disputationem aggreditur, idq; multis rationibus e natura profectum ostendit; in alteram, in qua religionem, & sacrificia constituit; in tertiam, in qua ordines magistratuum describit; in quartã, in qua de iudicijs se pertractaturum pollicetur in fine tertij libri. reliquarum disputationum parum comperta ratio est. Economicos ex libris Xenophõtis ad uerbum translatos, ut ex Seruio, & Macrobio intueri licet, in tres partes distribuit M. Tullius. prima erat de instituenda domi matre familias. secunda erat de patrefamilias, qualis foris in acquirendo esse deberet. tertia erat de agri colendi ratione. Hos tres libros, et si adolescens adhuc e Xenophonte in latinum conuerterat, doctrinae tamen, & docendi ratione ad ultimum locum post quinque libros de legibus publicis, quibus commodissime annecti de

bent, referendos ex his, quae iam diximus, nemini dubium esse arbitror, sequitur enim post leges publicas, accommodatas ad optimæ reipublicae formam, pertractatio legum familiarium, de quibus agitur in tribus libris economicorum. Nil enim aliud continent economicae hae institutiones, quam leges matris familias tum erga liberos suscipiendos, & nutriendos, tum erga uirum, & rem familiarem; & leges patrisfamilias erga liberos, erga seruos, & ad rerum acquisitionem, & conseruationem, ut facile est uidere apud Aristotelem, & Xenophontem. Multis fortasse uideri possum in hac ipsa disputatione longius prouectus, quam eius ratio postulabat, sed ij profecto, si ea, quae adhuc à nobis breuiter explicanda sunt, optime perpenderint, & se æquos iudices nobis praebuerint, certe intelligent, nihil à nobis dictum, quod non esset maxime necessarium; & recte non potuisse percipi ea, quæ sequerentur, nisi, quae iam diximus, praecessissent; atque ea omnia non ad ullam ostentationem, sed ad solam studiosorum utilitatem à nobis fuisse allata, & nostrae huic institutioni non sine ratione interposita. Quamobrem cum clarissimus uir, & de li-

terarum studijs quam optime meritus, & tot, ac tantis præsidijs, & ornamentis munitus ad generis hominum eruditionem uniuersam hanc philosophiam tam sapienter, tam ordinate, tam denique ornate conscripserit, non uidentur omittenda ad eam instituendam, quae praefationis loco in Aristotelis philosophia naturali, & morali a uiris doctis solent adhiberi. Non incongruum igitur fore sum arbitratus tum scriptoris grauitati, tum rerum etiam, quae ab eo tam prudenter, & distincte, & eleganter tractantur, dignitati his, quae à nobis hactenus dicta sunt, breuiter, ut ab initio proposuimus, adiungere, quae de fine uniuersæ huius philosophiæ, de rei subiectæ materia, de ordine, & methodo, de inscriptione, de utilitate a reliquis interpretibus in eorum prælectionibus in explicanda hac, atque illa doctrina, & disciplina communiter afferri consueuerunt. Qua quidem in parte doctissimos homines, & prudentissimos, æquiores se mihi præbituros non dubito, si paulo liberius egerim, cum in uniuersa hac institutione, tum præcipue in hac huius institutionis parte in admittendis ijs nominibus, quæ fortasse abhorrere quibusdam a purita-

te latini sermonis uidebuntur. Malui enim com muni omnium utilitati, & studere, & consulere, quam quorundam superstitiosorum hominum æmulari diligentiam, cum ea nullum habeat locum, ubi res, non uerba considerantur. Istiusmodi enim disputationes sufficit plane, & perspicue expedire, dicere ornate uelle, puerile est. Primum autem a pertractatione finis ipsius exordiemur: quia in hac ipsa philosophiæ parte est causa, & principium cognitionis. quemadmodum enim Naturalis philosophus materiam præcipue, & Mathematicus formam: ita Ciuilis philosophus primum oĩum sibi finem contemplandũ proponit: Cum, ut inquit in academicis, omnis ratio uitae diffinitione summi boni contineatur, de qua qui dissident, de omni ratione uitæ dissident. unde in ijsdem academicis duo esse maxima in philosophia affirmat, iudicium ueri, & finem bonorum, neque sapientem posse esse, qui aut cognoscendi initium ignoret, aut extremum expetendi. Quare M. Piso in quinto de finibus prudenter fecisse ait L. Ciceronem, quod audire primum & potissimum de summo bono uoluerit, quo constituto in philosophia constituta sunt omnia. Finis au-

tem, ut considerari solet in hac, atque in illa doctrina, et disciplina, alter attribuitur scientijs speculatiuis, in quibus præter cognitionem, nihil aliud requirimus, unde in ea sola consistit, et est ipsamet cognitio ueritatis: ut philosophiæ Naturalis finis est perfecta cognitio rerum natura constātium: finis Metaphisices est perfecta cognitio rerum, quæ sunt supra naturam: finis Mathematices est perfecta cognitio rerum mathematicarum; alter finis attribuitur ijs disciplinis, et facultatibus, in quibus cognitionem non propter se quaerimus, sed ut acquisitam ad operationem dirigamus. Quamobrem in cognitione huius humanæ, et ciuilis philosophiae ita ad principia operationum, & ad alias priores partes recte constituendas subiici debet: ut in mathematici suppositiones. Huius finis, alter attribuitur huic, atque illi arti, quippiam efficienti, quod remaneat post effectionem; alter attribuitur ijs facultatibus, & disciplinis, quæ non in efficiendo, sed in agendo ipsae uersantur, ut sunt, quæ in actionem desinunt, et in quibus post actionem nihil aliud relinquitur: ut est finis artis militaris, & finis musices. Quare cum philosophia haec humana,

& ciuilis non enumeretur inter ſcientias ſpecula-
tiuas, neque inter artes proprie acceptas, ſed in-
ter eas facultates, quae poſitae ſunt in actione, ui-
deamus, quis ei finis è ſui natura ſit attribuen-
dus ex ſententia M. Tullii Ciceronis. Attri-
bui autem ſummum illud, & ultimum rerum
expetendarum debet, cuius cauſa caetera omnia
eligamus, hoc autem eſt ſummum ipſum bonum,
& naturae humanae conueniuntur uiuere, &
ad propriam perfectionem a natura inſitam per-
uenire. Ad hoc enim natura rerum parens om-
nia poocreauit, ſtirpes, animalia, homines, ut unū-
quodque horum ad propriae naturae conuenien-
ter uiuendum ſe converteret, & quam in optimo
ſui generis ſtatu cuſtodiret, plantas ad ſe alendū,
boues ad arandum, equos ad currendum, canes
ad uenandum, hominem autem ad intelligendū,
& ad agendum, hoc eſt ad uiuendum ex homi-
nis natura undique perfecta, ac nihil requirente.
Cum itaque homo ipſe ex animo, & corpore con-
ſtet, cumque in eo primae ſint partes animi, ſe-
cundae corporis, tum uiuet in optimo hominis ſta-
tu, & naturae humanae conuenienter, cum om-
nes ſuas partes charas habuerit, easq; chariores,
quo

quo perfectiores sint, & magis in suo genere laudabiles, hoc est, si ille animum corpori anteponet, uirtutesq́; animi uoluntarias præferat uirtutibus animi non uoluntarijs: ut fortitudinem, & iustitiam memoriæ, & docilitati, & ijs, quae uno ingenij nomine continentur; et si corpus tamen nõ omnino neglexerit, sed si id nihilominus senserit ad animum esse, tanquam exiguam stellam ad solis comparationem. Hoc ipsum humanae naturæ conuenienter uiuere esse extremum rerum expetendarum apertissime docet in academicis sub his uerbis: Ac primum illam partem bene uiuendi à natura petebant, eiq́; parendum esse dicebant, neque ulla alia in re, nisi natura quaerendum esse illud summum bonum, quo omnia referantur, constituebantq́; extremum esse rerum expetendarum, & finem bonorum, adeptum esse omnia e natura, corpore, & animo, cæteraq́; pertinere ad id putant, aut ad augendum, aut ad tuẽdum: ut diuitias, opes, gloriam, gratiam, amicitias, & reliqua huius generis. Hunc igitur: quẽadmodum ex uerbis M. Tullij declarauimus: esse finem & hominis ciuilis, & uniuersae huius humanae philosophiae perspicuum est, ad quem

omnes eius partes referuntur, nihilq; aliud agũt, nisi, ut hunc & doceant, & introducant in societatem ciuilem. Hunc libri de finibus constituunt, & diffiniunt. ad hunc respiciunt officia & media, et perfecta. ad hunc intrudendum in ciuitatem et respublica optima instituta est, & leges tam publicae, quam familiares sunt conditae. Sed diligenter est animaduertendum, quod leges familiares habent duplicem finem; propinquum unum, hoc est leges publicas, cum ijs, ut affirmat Aristoteles in ultimo capite primi libri polyticorum, similes esse debeant; remotum alterum, hoc est summum bonum, ad quod tandem ipsæ referuntur. respublica, & leges publicæ habent pariter duplicem finem; unum propinquũ, hoc est officia tam media, quam perfecta, ut ea introducant in ciuitatem; alterum remotum, hoc est finem bonorum. ad hoc enim legum latores, et magistratus inuitant, & cogunt homines ad officia præstanda, ut tandem consequantur summum bonum, & illud naturae humanae conuenienter uiuere. officia tum media, tum perfecta sibi proponũt summum bonum, & extremum illud rerum expetendarum. beatitudo, & finis bo-

norum est tanquam scopus, ad quem tandem respiciunt & leges familiares, & leges publicae, et respublica, & officia, tum perfecta, tum media. Patet igitur iure, meritoq; doctrinae ordine leges familiares esse ultimas, easq; antecedere leges publicas, & rempublicam, hancq; officia tam perfecta, quam media, & summum bonum esse primum cognitione, consecutione tamen ultimum. Semper enim docendi ratione in hac philosophiae parte id, quod statuitur tanquam finis, debet eo prius esse, quod est tanquam tendens ad finem. Sed iam fine proposito perscrutemur, quid substratum esse oporteat ad eum suscipiendum. Subiectum igitur, ut considerari solet in hac, atque in illa doctrina, & disciplina, alterum est subiectum scientiarum, quae in contemplatione uersantur, tanquam fundamentum substratum omnibus, quae in eis considerantur, ita ut unum existens, plures tamen partes in se contineat, quod eiusmodi esse debet, ut gigni non possit a nobis, dum operamur per liberum arbitrium nostrae uoluntatis, sed sit, ut philosophi loquuntur, ens necessarium nobis praecognitum; tum, quod nomē significet; tum etiam, quod sit, habens proprias

affectiones, & principia, ut affectiones per principia de ipso sciendi gratia demonstrētur, idq; ideo præponitur pertractandum, ut perfecte a nobis co gnoscatur. partium huius subiecti; altera est, quæ materiae locum obtinet, & dicitur res considerata, quae potest uni scientiae cum alijs disciplinis esse communis: ut sunt corpora, quae tam sunt communia scientiae naturali, quam etiam stereometriæ, hoc est ei disciplinae, quae in solidorum corporum commensuratione uersatur, & alijs artibus compluribus, quae pariter circa hæc eadem corpora se exercent. Altera pars est, quae obtinet locum formae, & uocatur modus considerādi, & est pars praecipua. ab hac enim ipsa sciētia constituitur, cum unicuique scientiae materiam propriam efficiat: ut corpus, quatenus habens principium motus, est subiectum philosophiæ naturalis, non simpliciter, quatenus corpus, sed sub hoc modo considerandi, quatenus habens naturam, quæ est principium motus. Alterum est subiectum disciplinarum operatricium, quod dirigitur ad formam, et ad finem à nobis generandum, et introducendum. Unde sequitur non esse necessariam undique eius perfectam cognitionē,

ſed eiuſmodi, ut ad operationem, et ad finem aſſequendum tantummodo ſufficiat. Quare philoſopho morali, & ciuili non eſt adeo neceſſaria expleta illa notitia hominis; neque, quo ad animam; neque, quo ad corpus: quemadmodum neque fabro neceſſaria eſt plena cognitio ferri, eiuſq; natura, & proprietates: quoniam ad effectionem huius, atque illius operis nihil conferunt. partium huius ſubiecti, altera dicitur res ſubiecta diſciplinarum operatricium, quæ rei conſideratæ in contemplatiuis ſcientijs quadam proportione reſpondet: ut aurum, aut argentum, quod ſubijcitur, & philoſopho naturali, ut cognoſcatur; & aurifici, ut ad opus aliquod dirigatur; & Homo ciuilis, qui conſideratur & à medicina, & ab arte rhetorica, & ab arte imperatoria, & à compluribus alijs. Altera pars huius ſubiecti dicitur finis diſciplinarum operatricium, qui modo conſiderandi incontemplatiuis ſcientijs quadam proportione reſpondet: quia ſubiectum coarctat, & conſtituit in unaquaque arte, & facultate: ut in ſtatuaria finis eſt ſtatua ex ære efficienda. in philoſophia humana, & ciuili finis eſt homo ciuilis, ut dirigendus ad felicitatem ciuilem conſequendã,

distinctus; & ab homine ciuili, ut ad incolumitatem restituendo; & ab homine ciuili, ut ad artẽ oratoriam; & ab homine ciuili, ut ad militiam informando. Ex re igitur subiecta, & ex fine constitui pariter debet subiectum, ut isti uocant, adæquatum uniuersæ humanæ, & ciuilis philosophiæ, quod in se omnes partes, omnesq́; libros huius ꝑ tractationis à M. Tullio conscriptos arctissimo uinculo complectatur. Hoc autem erit: Homo in ciuitate dirigendus ex actionibus secundum medium officium, atque perfectum per optimum rei publicae statum, eiusq́; leges tam publicas, quam familiares ad naturæ humanae conuenienter uiuendum. quod subiectum attingit subobscure M. Tullius in quinto de finibus sub his uerbis: Ex quo intelligi debet, homini id esse in bonis ultimum, secundum naturam uiuere, quod ita interpretamur, uiuere ex hominis natura undique ꝑfecta, ac nihil requirente. Ex his perspicuum fit; hominem, quatenus aptum ad naturae humanæ conuenienter uiuendum, esse subiectum adaequatum huius philosophiae. Hunc autem intelligo, non eum, qui uitam solitariam agit sibi ipsi soli, sed parentibus, liberis, coniugi, & omnino ami-

cis, quando quidem homo, ut etiam affirmat Aristoteles, natura ciuilis est, & aptus pariter & ad summum bonum consequendum, & ad societatem ciuilem, & ciuitatem ipsam constituendam. quae nihil aliud est, quam ciuium multitudo communionis iure sociata ad felicitatem acquirendam. Hinc asserit idem M. Tullius, hoc animal solum natum esse particeps pudoris, ac uerecundiae, appetensque coniunctionum hominum, ac societatum; hominesque hominum causa generatos, ut ipsi inter se alij alijs prodesse possint, ortusque nostri partem patriam, partem parentes sibi uendicare. His addit in tertio de finibus formicas, apes, ciconias, aliorum etiam causa quaedam facere, & multo magis homines, qui natura sunt apti ad coetus concilia, ciuitates; & in quinto: in hominis natura innatum esse quiddam ciuile, ac populare. Unde sequitur idem esse, si dicamus, hominem ciuilem esse rem subiectam, & tamquam materiam ad summum bonum suscipiendum, ac si diceremus, ciuitatem, seu societatem ciuilem esse huiusmodi rem subiectam, ad summum bonum dirigendam, hoc est ad naturae humanae conuenienter uiuere. Quamobrem in hac

constitutione subiecti, quod adæquatur omnibus libris, quos coniunctim de hac re scripsit M. Tullius, inest res subiecta, quae respondet in scientijs speculatiuis rei consideratae. Haec autem est homo ciuilis, qui subijcitur communiter & alijs facultatibus, & ut ad artem oratoriam, & ut ad artem militarem, et ut ad complures alias instituendus. inest quinetiam finis, qui respondet in scientijs speculatiuis modo considerandi, scilicet Homo ciuilis, non ut ciuilis, & ad alias artes dirigendus, sed ut dirigendus ad summum bonum, & ad naturae humanae conuenienter uiuendum, qua ratione consideratus, distinguitur ab eo modo, quo ab alijs artibus consideratur. Nulla enim alia ars sub hac forma, & sub hoc modo hominem ciuilem speculatur, nisi philosophia humana. Nam rhetorica de eo pertractat, quatenus institui debeat ad dicendum; Ars militaris, quatenus institui debeat ad pugnandum. sola uero philosophia hæc eum considerat, quatenus redigi debeat ad humanæ naturæ conuenienter uiuendum. In hoc subiecto uniuersæ huius philosophiæ, à nobis ex ratione ipsa, & ex propriis M. Tullij uerbis constituto comprehenduntur

libri

libri de finibus, libri officiorum, de amicitia, de se
nectute, de consolatione, tusculanarum quæstionũ,
paradoxa, Catonis laudatio, libri de republica, li-
bri de legibus tam publicis, quam familiaribus.
Hinc etiam intelligi facile potest, quod statui sub
iectum debeat sigillatim unicuique horum om-
nium librorum. Summum enim bonum, & il-
lud naturæ humanæ conuenienter uiuere, introdu
cendum in hominem ciuilem, erit subiectum libro
rum quinque de finibus bonorum, & malorum.
Homo, quatenus ad hunc finem dirigendus ex
actionibus secundum medium officium, erit su-
biectum trium librorum de officijs; quatenus in
stituendus ad officia inter amicos præstanda, erit
subiectum dialoghi de amicitia; quatenus insti
tuendus ad senectutem leuiter ferendum, erit
subiectum dialoghi de senectute; & quatenus
instituendus ad mortem propinquorum, & san-
guine coniunctorum conuenienter tolerandam,
erit subiectum librorum de consolatione; quate-
nus uero instituendus ad perfectum sapientis offi
cium, erit subiectum librorum tusculanarum
quaestionum, & paradoxorum, & Catonis lau-
dationis, quatenus uero ad hæc omnia instituen-

dus per optime reipublicæ statum, erit subiectum sex librorum de republica; quatenus instituendus per leges publicas, erit subiectum librorum de legibus; quatenus instituendus per leges familiares, erit subiectum trium librorum de re domestica, & familiari. Quatenus uero dirigendus in ciuitate exactionibus secundum medium officium, atque perfectum, ut diximus, per optimum reipublicæ statum, eiusq́; leges tam publicas, quam familiares ad humanae naturae conuenienter uiuendum, erit subiectum commune, & adæquatum uniuersae philosophiae humanae, & ciuilis, & omnium harum partium, quas breuiter attigimus in constitutione huius subiecti. Quare omnes hi libri uniuersa eorum præcepta referunt ad naturae humanae conuenienter uiuendum. Hoc facit apertissime M. Tullius in libris officiorum in primo capite post diffinitionem, & diuisionem, dum omnia officia eruit ab ipsius naturae ui. Hoc idem facit & in libris tusculanarum quaestionum, dum demonstrat, officium esse sapientis naturae congruere, & cum ea conuenienter uiuere, & in libris de republica, dum asserit, moderatori à se iam formatae reipu

blicae sic esse propositam beatam ciuium uitam: quemadmodum gubernatori cursum secũdum, medico salutem, & imperatori uictoriam. Sed quam nam aliam uitam ciuium beatam intellige re eum putandum est, quam eam, quam tot in locis, ut demonstrauimus, constituit, & confirma uit, hoc est naturae humanae conuenienter uiuere? Hoc pariter agit & in libris de legibus, dum in primo libro iuris stirpem, atque originem a na tura deducit, eamq; solam in legibus constituendis ducem sequendam affirmat, & in ijsdem libris legem nihil aliud esse deffinit, quam rationẽ insitam in natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetq; contraria, et paulo post, dum ait, quod lex est iustorum, iniustorumq; distinctio, ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressa naturam. Quamobrem in uniuersa hac philosophia respondent extrema primis, media utrisq;, omnia omnibus. in academicis agnoscit hortensium, & attingit finem bonorum, cum officijsq; coniungit. in libris de finibus respicit Hortensium, et cum fine bonorum complectitur utrunque officium. Libros de officijs ex al tera parte deducit à libris de finibus, ex altera

parte applicat ad perfecta officia. In tusculanis meminit de officijs mediis, & tam media, quam perfecta refert ad finem bonorum. in libris de republica, & de legibus introducit officia, eaq́ dirigit ad finē bonorum, hoc est ad beatam ciuium uitam, & ad illud naturae humanae conuenienter uiuere; atque hac continuatione, & coniunctione, quasi quibusdam uinculis in unum quasi corpus omnia philosophiae huius membra constringit, idq́ integrum, & undique perfectum, atque absolutum nobis conspiciendum proponit. Sed cū iam de fine, & de subiecto huius humanae philosophiae satis sit à nobis, ut arbitror, disputatum, sequitur ut de Methodo, quemadmodum propo suimus, aliquid breuiter pertractemus. Metho dus itaque, ut genus latissime desumpta, est habitus intellectualis, instrumentalis, nobis inseruiens ad rerum cognitionem adipiscendam. dicitur autē instrumentalis ad differentiā quinque aliorum habituum intellectus, hoc est intelligentiae, scientiae, sapientiae, prudentiae, artis, qui sunt habitus principes, non instrumentales, & disponentes. Specierum autem Methodi, ut generis late desumptae, Altera dicitur ordo, qui est ha

bitus intellectualis instrumentalis, per quem apti sumus cuiusque disciplinæ partes ita disponere, & collocare, ut, quoad fieri possit, optime, et facilime intelligantur. id autem a nobis fit, cum conuenienter pro rerum, & partium natura, alterã alteri præponimus in uniuersa alicuius doctrinæ pertractatione, quod, cum proprium sit ordinis, non spectat ab methodum, ut specium sumptam, cuius ordinis finem dicimus esse, ut earum partium, quæ in uniuersa doctrina considerantur, cognitionem facilius consequamur. Huius ordinis, alter a primis initijs rerum inchoando progreditur ad ea, quæ posteriora sunt, & appellatur ab Aristotele in ethicis ordo a principijs, quo ille utitur in uniuersa philosophia naturæ conscribenda, dum primo agit de simplicissimis corporum naturalium initiis: nempe de materia, forma, & priuatione; tum de quatuor elementis, quæ ex materia, & forma componuntur; inde de corporib. mixtis tam imperfectis, quam perfectis, quæ ex elementis concreta sunt, ut ipse non obscure ostendit & in primo physicorum, & in principio eorũ librorum, qui Metheorologici inscribuntur. Hunc eundem ordinem a principiis persequi-

tur etiam M. Tullius in pertractanda illa quæstione de natura deorum, dum primum pollicetur, se docere deos esse. deinde quales sint. tum mundum ab ijs administrari. postremo consulere eos rebus humanis, quarum partium altera alteri sit prĩcipiũ. ad demõstrãdũ. n., quales dii sint, indigemus hoc prĩcipio deos esse, ad demõstrãdũ autẽ, eos administrare mũdũ, ĩdigemus hoc altero principio, quales ipsi sint, hoc est optimi. neque enim mundum administrarent, nisi essent eiusmodi. ad consulendum autem rebus humanis, sit principium mundum eos administrare. Alter ordo proposito ultimo fine a nobis agendo, uel efficiendo progreditur inde ad prima principia indaganda, per quæ finem illum comparemus, & producamus. unde etiam dicitur ab eodem Aristotele ordo ad principia, hoc est a fine ad principia, quo ille utitur in uniuersa humana, & ciuili philosophia constituenda, dum primo agit de fine ultimo, et præstantissimo rerum agendarum, hoc ẽ de felicitate ipsa ciuili, & postea de ciuitate. de republica, & de legibus, quæ sunt prima principia, & instrumenta, quibus felicitatem ipsã assequamur: ut apertissime declarauit tum in proœ

mio primi libri, tum in ultimo capite ultimi libri ethicorum. Hinc fit, ut cum felicitas sit finis in consecutione, fiat principium in cognitione, in eaq́; a cæteris partibus ita præsupponitur, quemadmodũ ĩ mathematicis suppositiones illæ, quae propositionibus, ut ab omnibus concessæ, anteponuntur. Hoc eodem ordine a fine ad principia ad imitationem Aristotelis, & ad perfectam methodi obseruationem prudentissime utitur M. Tullius in pertractanda, & ordinanda uniuersa hac philosophia humana, & ciuili, ab eodem fine sumens doctrinae principium, inde deueniens ad ea, quae in actione finis ipsius consecutionem antecedunt, hoc est ad officia cum media, tum persecta, & ad ea, quae sunt, tanquam instrumenta animata, & inanimata, hoc & ad rempublicam, & ad leges, quibus dirigat ciuitatem ad actiones ex mediis, & perfectis officiis, ut tandem peruenire possit ad illud exoptatum, & primo sibi propositum bonorum finem, ad naturae humanae conuenienter uiuendum. Neque hoc ordine usus est M. Tullius impulsu, aut caeco quodam naturae impetu, sed prudentissimo consilio, ut pluribus in locis clarissimae demonstrauit, appellans finem ip

sum fundamẽtum uniuersae philosophiae, dequo, qui dissentit de tota philosophiae ratione dissentit, quo constituto constituta sunt omnia, modo affirmans, nulla officia tradi posse, nisi aut ab his, qui solam honestatem; aut ab his, qui eam maxime dicerent expetendam; et moderatori reipublicae propositam esse ciuium beatam uitam, et his simi lia. De progressu diffinitiuo, quem alii inter ordi nes enumerant, nihil ex hoc loco dicam, cum sit potius instrumentum, subseruiens tam ordini a principiis, quam ordini a fine ad principia, ut op time, & sapienter probauit in eius libris de Me thodis Illustris comes Iacobus Zabarella, uir sum mae, & praestantis eruditionis, a quo, quae de hac re attulimus, breuiter in hunc locum traduximus, et huic M. Tullii philosophiae accommodauimus. Sed ueniamus iam ad eam partem, quae est de Methodo, ut specie sumpta, hoc est de forma, et ratione argumentandi, quam in uniuersa hac philosophia adhibet M. Tullius. Quare non est ignorandum, methodum, ut speciem sumptam, & ab ordine ex altera parte distinctam, esse instrumentum intellectus, faciens ex rebus notis cognitionem rei ignotae cum

illa

illatione unius ad alteram, quod cum maxime proprium sit methodi, non spectat ad ordinem: ut notum est exempli gratia, corpus naturale habere motorem æternum, sed ignotum est, corpus naturale habere motum æternum; uel e contrario: notum est, corpus naturale habere motum æternum, sed ignotum est, corpus naturale habere motorem æternum: hoc igitur utrunque ignotum infert Aristoteles methodo adhibita per illud, quod notum iam est, alterum ex altero inferendo. Huius Methodi duæ sunt species, Altera dicitur Methodus ex causa cognita ad effectum incognitum, unde diffinitur syllogismus scientiam pariens ex propositionibus necessarijs notioribus, & causis conclusionis: ut: quod habet motorem æternum: habet & motum æternum: corpus naturale habet motorem æternum: ergo & motum æternum, Hæc commode, & conueniēter accommodatur tantumodo scientijs speculatiuis, neque ullo modo aptari potest philosophiæ humanae, & ciuili, cuius causae non sunt eiusmodi, ut ex eis demonstratio afferri possit, cum praecipue eius subiecta materies sit adeo uaria, & inconstans, ut tantumodo lege, & non na

tura constare uideatur. Unde etiam Aristoteles persæpe in hac parte philosophiæ perscribenda se defendit, ac tuetur, quod nullam demonstratio nem adhibeat, sed eius loco, ea methodo utatur, qua potest meliori, scilicet probabili, ac dialectica, quæ non pariat scientiam, sed opinionem; Altera species huius methodi est ex effectu cognito ad causam incognitam, quae est syllogismus ex propositionibus necessarijs constans, quae ab effectis notioribus ad causarum inuentionem ducit: ut: Quod habet motum aeternum, habet & motorē aeternum: corpus naturale habet motum aeternum: ergo habet & motorem aeternum. Haec quoque commode, & conuenienter aptatur scien tijs speculatiuis, neque ullo modo conuenire potest philosophiae humanae, & ciuili, cuius effectus, & actiones non sunt necessariae, sed contingentes ex libera nostra uoluntate. Hac itaque duplici methodo neque Aristoteles, neque M. Tullius utitur in hac parte philosophiae literis mandan da; primo: quia neque huius causae, neque effectus eam habent uim, ut scientiam in nobis gignant, ut optime probauit Aristoteles; deinde etiam: quoniam se academicum profitetur M.

Tullius, quod philoſophorum genus tollebat & hanc neceſſarium argumentandi rationem, & per conſequens omnem ſcientiam. Utitur tamen methodo dialectica, & probabili, quæ habet uim opinionem, non ſcientiam in animis hominum generandi. atque ad hoc præcipue ipſe reſpiciens ſcripſit quatuor libros academicarum quaeſtionum, ut ſtatueret formam, & rationem philoſophandi, quam eſſet obſeruaturus in uniuerſa philoſophia tractanda, appellans eam non arrogans genus philoſophandi. Hoc, quod nam eſſet, aperte explicat in academicis ſub his uerbis. Eſt enim omnis cognitio multis obſtructa difficultatibus, eaq; eſt & in ipſis rebus obſcuritas, & in iudicijs noſtris infirmitas, ut non ſine cauſa & doctiſſimi homines, & antiquiſſimi inuenire poſſe, quod cuperent, diffiſi ſint, tamẽ nec illi defecerũt, neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus. neque noſtræ diſputationes quicquam aliud agunt, niſi, ut in utranque partem dicendo, & audiendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut uerum ſit, aut ad id quam proxime accedat. Neque inter nos, & eos, qui ſe ſcire arbitrantur, quicquam intereſt, niſi, quod

illi non dubitant, quin ea uera sint, quae defen dunt, nos probabilia multa habemus, quae sequi facile, affirmare uix possumus. Hoc genus argumentandi se adhibiturum profitetur M. Tullius & in libris de finibus, & in libris officiorũ, dum inquit in exordio secundi libri officiorum: Nos autem, ut caeteri, qui alia certa, alia incerta esse dicunt: Sic ab his dissentientes, alia pro babilia, alia contra improbabilia dicimus. Quid est igitur, quod me impediat ea, quae probabilia mihi uidentur, sequi, quae contra improbare, atque affirmando arrogantiam euitare, fugere temeritatem, quae à sapientia dissidet plurimum? & in libro tusculanarum primo, ut ipse de se ipso confirmat: Geram, inquit, tibi morem, & ea, quae uis, ut potero, explicabo, nec tamẽ quasi Pythius Apollo certa, ut sint, & fixa, quae dixero, sed ut homunculus unus e multis probabilia coniectura sequens: ultra enim, quo progrediar, quam, ut uerisimilia uideam, nihil habeo: certa dicent hi, qui et percipi ea posse dicunt, & se sapientes esse profitentur. Hinc est, quod Academici, & academicos secutus M. Tullius illud genus argumentandi magis sibi elegerit, in quo daretur in

contrarias partes disputandi locus. Apparet igitur, eum nulla usum methodo necessaria, neque a causis ad effectum, neque ab effectis ad causã, sed ea probabili ratione, quae parere opinionem posset, scientiam non posset. Sed iam ad inscriptionem horum librorum, quae erat penultima pars nostræ disputationis, progrediamur. sumpsit autem inscriptionem suorum librorum M. Tullius, aut à re tractanda, & a re subiecta: ut de finibus bonorum & malorum, de officijs, de amicitia, de senectute, de consolatione, de republica, de legibus, de economicis, aut a locis, in quibus illæ disputationes habitæ sunt: ut academicarũ, & tusculanarum quaestionum, aut à personis, quæ in ijs disputationibus primas partes agunt: ut Hortensius; aut à re subiectu simul, & a persona: ut Lelius siue de amicitia: Cato maor uel de senectute. Vniuersam uero philosophiam, quæ in nostris actionibus uersatur, partim appellauit philosophiam de uita, & moribus, partim appellauit simpliciter philosophiam per excellentiam, & denominationem quandam nullo addito nomine. Quando enim per exclamationem dixit in quinto tusculanarum quaestionum: O uitae philoso

phia dux, O uirtutis indagatrix, expultrixq; uitiorum, quid non modo nos, sed omnino uita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem uitae conuocasti, tu eos inter se primo domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum, & uocum communione iunxisti, tu inuentrix legum, tu magistra morum, & disciplinae fuisti, nonne solam moralem, & ciuilem propter excellentiam simpliciter philosophiam appellauit? sub eius nomine generatim omnes eius partes complectens; & eam, quae in deligendo fine bonorum, & in officijs, actionibusq; ex uirtute ad eum dirigendis posita est, dum eã uocauit, uitae ducem, uirtutis indagatricem, expultricem uitiorum, & magistram uitae; & eam, quae est de republica, dum eam dixit urbes pepe risse, & dissipatos homines in societatem uitæ cõuocasse; & eam, quæ est de legibus, dum eam nominauit legum inuentricem; & eam, quae est de re familiari, dum affirmauit, eam homines iunxisse primo domicilijs, deinde coniugiis. in qua quidem exclamatione nullum inest uerbũ, quod ad philosophiam naturalem, aut ad disserendi rationem referri posse uideatur. Constituamus ita-

que uniuersam humanam, & ciuilem philosophiam appellari a Cicerone simpliciter philosophiam, & philosophiam de uita, et moribus; eius autem primam partem, de finibus bonorum & malorum. secundam de officiis, seu de medio officio, de amicitia, de senectute, de consolatione. tertiam quaestionum tusculanarum, & paradoxorum, & Catonis laudationis, quae tota est de perfecto sapientis officio. quartam de republica. quintam de legibus publicis. sextam economicam, seu de legibus domesticis, & familiaribus, praeter hortensium, & academicas quaestiones, quos libros, proemium quoddam, & praeparationem ad philosophiam esse docuimus. Hanc autem philosophiae partem, quae in actione uersatur, nominat philosophiam de uita, & moribus; per uitam intelligẽs illud uitae genus, quod eligimus proposito bonorum fine adhibita consultatione. Vt ostendit per haec uerba in quarto de finibus: Sed hoc summũ bonum, quod certa significatione intelligitur, eaq; uita, quae ex summo bono degitur, quia coniuncta ei uirtus est, in sapientem solum cadit; isq; finis bonorum a Xenocrate, atque Aristotele constitutus est. Hoc autem sumpsit ex Aristotele,

qui dixit primo ethicorum libro, idem significare felicem esse, bene agere, & bene uiuere, felicitatemq́; esse uitam quandam probam, & actionem laudabilem, et in septimo libro politicorum, cum loquens de optima republica ait: Verum, quoniã de optima republica recte quaerere instituenti, opus est prius determinare, quae uita sit maxime à ciuibus expetenda, cum ea adeo cum optima republica coniuncta sit, ut ignorata optima uita, ignorari quoque optimam rempublicam necesse sit. optimam autem uitam intelligit, quae sibi finẽ uiuendi proposuit felicitatem, hoc est actionem ex uirtute. Quare per uitam, eam philosophiae partem designauit, quae fine bonorum contineretur, quam complexus ille est libris de finibus; per mores autem, reliquas philosophiae partes indicauit, quae mores ad propositum iam uitae finem instituerent, atque dirigerent; ac si diceret de fine, & de moribus ad eum finem conformandis, & instituendis. Hoc autem non intelligit more stirpium, dum nutrimur, & augemur, uitam ducere, sed agere, & operari secundum uim homini a natura tributam, quod etiam ex Aristotele ipso desumpsisse M. Tullius uideri potest, qui primo

mo ethicorum capite quarto ex communi omniũ opinione dixit, idem esse bene uiuere, & rem bene gerere, & bene agere, & beatum esse, & in eodem libro capite septimo, ubi ait, felicitatē hominis esse uitam quandam, quæ in actionem apta sit, eius propriam, quod rationi præditum est. Hoc enim est naturae humanæ conuenienter uiuere, ex proprio scilicet officio omnia agere, & earum rerum, quæ sunt secundum naturam, quam plurima, & quam maxima adipisci: ut ipse interpretatur inquarto de finibus. Verum quoniam fere hæc omnia in dialoghis scripta sunt, & dialogorum nomine inscribuntur, res ipsa hortatur, ut de Dialogo eiusq; speciebus quibus præsertim usus est M. Tullius in tractanda, & constituenda hac philosophiæ parte, nonnulla breuiter, & distincte percurramus, antequam ad ultimam partem propositæ a nobis disputationis perueniamus. Est autem Dialogus narratio sermonis habiti interduos, plures ue ex interrogatione unius, & responsione alterius ad contentionem, aut ad explicationem alicuius rei probabilis uel ignoratæ, uel controuersæ, cum personarum, quæ introducuntur, congrua rap-

presentatione, reique, dequa agitur, forma orationis accommodata. Dialogorum tria sunt genera; Unum, quo aliquid inquiritur, et falsa confutantur; Alterum, in quo solum uera, quæ uidentur, exponuntur, & docentur; Tertium, in quo utrumque præstatur. Primum illud appellatur inquisitiuum, & contetiosum. Secundum expositiuum. Tertium mixtum ex contentioso, & expositiuo. Ad expositiuos referri potest Dialogus de amicitia, de senectute, Dialoghi questionum tusculanarum, Dialoghi de republica, et de legibus, Reliqui redigi possunt ad genus mixtorum, cum in iis & aliorum sententiæ repudientur, & aliorum rursus exponantur, & doceantur: ut Dialogus inscriptus hortensius, Dialoghi academicarum quaestionum, Dialoghi de finibus; Harum omnium, alii uersantur in speculatione; Alii uersantur in actione. eorum, qui uersantur in speculatione, Alii uersantur in rebus rationalibus, et logicis: ut sunt tres Dialoghi de oratore ad Quintum fratrem, Dialogus partitionum oratoriarum, & reliqui eiusdem generis; Alii uersantur in rebus natura constantibus: ut sunt Dialoghi de natura deorum, de

diuinatione de fato, de uniuersitate; eorum uero, qui uersantur in actione, Alij uersantur in fine uitae deligendo, Alij in officiis ad uitae finem iam delectum dirigendis, Alii uersantur in rebus, quae tanquam instrumenta dirigunt officia, & actiones ad eundem uitae finem iam delectum. Primi generis sunt Dialoghi de finibus. secundi generis sunt Dialoghi tusculanarum disputationum. Vltimi generis sunt Dialoghi de republica, & de legibus tam publicis, quam familiaribus. Horum omnium rursus duo sunt genera, unum, quo ex abrupto disceptantes introducuntur; Alterum, quo ab ipsis scriptoribus aut proprij, aut aliorum sermones habiti referuntur cum particula inquam, & inquit. Ex eo autem genere, quo disputantes ex abrupto introducuntur sine inquam, et inquit, est Dialogus de amicitia, de senectute, Dialoghi tusculanarum quaestionum, Dialoghi de legibus. Ex altero uero genere, quo ab ipsis scriptoribus aliorum, aut proprii sermones cum aliis habiti referuntur cũ particula, inquam, & inquit, est hortensius. sunt Dialoghi academicarum quaestionum. Dialoghi de finibus, Dialoghi de republica, in quibus

omnibus illud est in primis animaduertendum, quantam ad hibuerit diligentiam in personis cuique disputationi apte accommodandis. in Dialogo enim, qui erat de laudibus philosophiæ, primas partes in ea uituperanda tribuit hortensio, sui temporis homini eloquentissimo, a philosophiæ tamen studiis alieno. in ea uero laudanda sibi & Catulo, philosophiæ maxime studiosis. in Academicis sibi Attico, et Varroni in eo doctrinae genere præstantissimis. in primo de finibus L. Torquato, in Epicuri dogmatibus tum temporis peritissimo. in tertio, & quarto sibi, & M. Catoni, & uita, & doctrina uere stoico. in quinto M. Pisoni peripatetico, ut ipse ostendit in tertiodecimo Epistolarū ad Atticum. In Dialogo de amicitia, Lelio. In Dialogo de senectute, Catoni Maiori, in ea ætate iam constituto, senectutemque egregie ferenti. in tusculanis sibi ipsi. In libris de republica ut ipse scribit ad Atticum Africano, Philo, Paeto, & Manlio, summis uiris in administranda republica. in libris de legibus, sibi, Quinto fratri, & Pomponio Attico, & pari ratione in reliquis eius dialoghis, ne in singulis enumerandis nunc frustra tempus conterrere uideamur.

Verũ illud ĩprimis dilige̋ter ẽ animaduerte̋dũ, M. Tulliũ in libris de republica prudẽtissime nõ sibi ipsi, nõ sui tẽporis hominibus, ut ferè in oĩbus eius disputationibus instituerat, sed superioris ætatis uiris præclarissimis, & præcipue Scipioni sermonem de republica tribuisse. Nam cum de ea non qualis esse debuerit, sed qualis nam ipsa Respublica Romana fuerit ex Macrobij testimonio in his libris sibi disputandum proposuisset: Cumq́; ea, tum in perfectiori sui statu extiterit, quo tempore ait Polibius in ea multo quã unquã diligentius legum imperia, & ut ait Salustius, ius, æquumq́; natura magis, quam legibus ualuisse, non potuit, non eos homines in hac disputatione loquentes facere, qui de eius optimo statu reddere rationem potuissent. De utilitate uero, ac dignitate huius humanae, & ciuilis philosophiae, quae erat ultima pars eorum, quae nobis proposuimus pertractanda, non agam pluribus, ne in re tam aperta ad ostendendum solem lucernã accẽdere uideamur. Quare si utile est sibi finem in omni actione uitæ proponere, si utile est ex officio tam medio, quam perfecto omnia agere, si utile est sub optima republica uitam degere, legibus

obtemperare, uirtutem indagare, expellere uitia, urbes parere, dissipatos homines ad communem societatem conuocare, interseq; primo domiciliis, deinde coniugiis copulare, si denique utile est leges inuenire, mores praescribere, familiam gubernare, erit quoque utilissima ea philosophiae pars, quae nobis haec omnia elargitur. Haec medetur animis, inanes solicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Hac una nihil sol unquam in orbe uidit dignius. sine hac regnum conuertitur in tyranidem, status optimatum in paucorum dominationem, respublica in confusionem popularem. sine hac, dicam libere, quod sentio, rex re non est rex, sed nomine, senator non est senator, ciuis non est ciuis, ac denique homo nō est homo, ignorata propriae artis ratione. Nā quēadmodū indecorū est, eū appellari gubernatorē, militē, oratorē, qui artis nauticae, militaris, rhetoricae ignarus ē: ita pariter incōgruū existimari debet, eos haberi reges, senatores, ciues, qui omnino rudes sunt propriarum artium, & politicae huius cognitionis, sub qua omnes illae continentur. Quam turpe putandum est in gruibus, in apibus, in formicis apparere quaedam si

mulacra praestantissimae huius facultatis, & tam paucos inueniri etiam ex nobili genere natos, qui uelint, se tam exiguis animalibus uideri superiores? Qui itaque huius cognitione omissa reliquis philosophiae partibus intendunt, ij profecto alienum quodam modo negocium agere uidẽtur, suum omittere. Quod cum ita se haberet, quando primum Socrates Athenis philosophiam hanc de moribus docere aggressus est, ut refert Xenophon, & Laertius grauissimus author, tum statim reliquae omnes disciplinae, quasi stellae minutiores ad solis lumen euanuerunt: cum eius sapientissimae ciuitatis homines animaduertissent, caeterarum speculationum fructum pene nullum, huius autem, quae in exequendis ex uirtute actionibus uersatur, emolumentum esse amplissimum. Age iam quis ẽ, qui se uirum probũ, & sapientiae amatorem nominari uelit, qui periculum, discrimenq́; patriae, parentis, amici, uxoris, liberorũ omni contemplationi non anteponat? Quis est, qui, cum horum alicui subuenire, opitularique possit, non omnem speculationem relinquat, atq́; abiiciat? Quod, quid aliud est per deum immortalem, quam eam philosophiae partem, quae a-

ctiones humanas dirigit, ei, quae in mentis cogitatione collocatur, longe antecellere? Hinc Pythagoras ille primus philosophiae parens, inanem esse eius philosophi orationem asserebat, quae nullam in homine perturbationem curaret. Quemadmodum .n. medicinae nullus est usus, nisi morbos e corporibus exterminet: Ita neque philosophiae, nisi animi uitia expellat. Vnde alij uitae regulam, alij eius medicinam, alij facultatem regiam non immerito appellabant. & plato ipse in protagora oportere unum quenque aiebat, aut ciuilis huius facultatis, & uirtutis esse participem, aut ex hominum caetu, uitaque extermina ri. Haec pauca non eo a me dicta fuisse existimari uelim, quo alios ab eorum studijs abducerem, ac retardarem, sed ne eam philosophiae partem omnino negligerent, quam sapientissimi homines reliquis omnibus anteposuissent. Quinimo hanc tanquam praelatam quandam lucem, & facem esse uolumus, qua nobis uiam monstret, qua ratione ab omnibus animi perturbationibus liberos possimus efficere, et quod inde sequitur ad philosophiam naturalem, & diuinam aptissimos reddere. Ergo si quietis, & tranquilitatis cau-

sa summos aliquando labores suscipimus, si pacem respicientes bellum gerimus, quanto magis regere, & moderari affectus omnes debemus, qui rationem ipsam impediunt, ut mentem nostram in tranquilliori statu constituamus? Cum præcipue nulla quasi maior sit in rebus humanis gloria, quam auaritiam coercere, quæ est inimica uirtuti, superbiam domare, iracundiam temperare, se ipsum uincere, ex quo uictoriæ genere non minor ad uictum, quam ad uictorem laus soleat redundare. Quare per uirtutum moraliũ habitus animi affectibus superatis, & secundum rectæ rationis imperium ad mediocritatem reuocatis, ijs scientijs, quæ in contemplatione rerum uersantur, commode operam nauabimus. Nam ut terra ipsa non prius facile fructus ferre solet, quam diligenter ab ea omnes aliæ radices frugibus noxiae pœnitus euellantur: Ita animi nostri non perfecte ab humanis perturbationibus expurgati uix ad ullius doctrinae perceptionem accedere poterunt. His expulsis, & uirtutum moralium præsidijs adiutus ipse animus, in hoc corpore adhuc inclusus eminebit foras, et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se à

corpore abstrhaet. Quid dicam quantum adiumentum haec ipsa cognitio iuris studiosis sit allatura? cum omnes leges ad eam ipsam poenitus referantur. siue enim honesta imperent, seu contraria uetent, non possunt hac ipsa philosophia uacare. Nã cum aut a prudentiae, aut a iustitiae, aut a fortitudinis, aut a temperantiae, aut a reliquarum uirtutum fontibus omne ius deriuetur, quis potest dubitare iuris prudentiam ab hac ipsa dependere, cum praecipuae sua principia omnia ab ea suscipiat, eamq; tanquam optimam parentem agnoscat? sine qua, quis est, qui merito iurisperitum se audeat dicere? Sine hac quasi sine duce Historia illa illa testis temporum, lux ueritatis, memoria, & magistra uitae, nuncia uetustatis nihil est, nihil potest, nihil efficit. Neque quisquam in ea antiquitatis monumenta, exemplorum uim, uarios rerum euentus cum aliquo fructu, & utilitate legere, atque obseruare unquam poterit, nisi haec ipsa multo ante praecepta bene, beateque uiuendi nobis tradiderit, causas mutationum, atque euersionum, quas respublicae, regna, atque imperia continuo patiuntur, earumque progressiones animaduerterit, & nota

uerit, optimum ciuitatis statum descripserit, uitiosaq; rerum publicarum genera omnia quasi digito demonstrauerit, & earum exitus miserrimos praedixerit. Hanc eandem facultas oratoria, tanquam nutricem charissimam amplectitur, ab eiusq; uberibus se educatam & auctam gloriatur. Quod si nonnulli fortasse reperiuntur, qui hac praeclarissima facultate praediti, ea abutantur, neque uiuant secundum iam cognita eius praecepta, in eos culpa omnis, non in philosophiam est conferenda, quorum doctrina superuacua, & inanis putari debet, cum non ad eum finem ab eis dirigatur, ad quem maxime oporteret, hoc est ad actionem uirtutis, & ad felicitatem ipsam consequendam, sed contra naturam ad omnia genera uitiorum. Nam si turpe est barbare eum loqui, qui se grammaticum teneri desiderat, si absurde canere eum, qui se musicum haberi uelit, quanto turpius est in ratione uitae eum delinquere, cuius magister esse uult, & artem uitae profitetur? Quid enim proderit de fortitudine, de temperantia, de iustitia, reliquisque animi uirtutibus semper disserere, & postea pulcherrimam hanc cognitionem uitae, & mo-

rum improbitate polluere, & coinquinare. Hoc totum Lacedemonij quoque illius dictum sapiens comprobauit, qui, cum Athenis in Academia multos de uirtute philosophos disputantes audiuisset, interrogatus, cuiusmodi uiderentur eorum sermones, quid aliud, inquit, quam optimi? sed prorsus uobis Atheniensibus inutiles, qui uos ad eorum praescriptam rationem minime instituitis, nullum ibi esse fructum allaturã de uirtute disputationem ostendens, ubi nullus esset in uita illius usus, atque actio. Quare & Eudemidas Archidami filius, cum Xenocratem iam senem de ijsdem rebus cum amicis disserentẽ, audiret, percontareturq́; , quis nã ille esset, cum respondissent esse uirum sapientem, qui uirtutem quaereret, & quando inquit ea usurus est, si senex adhuc eam quærit? existimans indecorum, & ineptum prorsus esse per omnem aetatis cursum de uirtute inuestigare, & secundum uirtutem minime uiuere, quod certe eius cognitione est multo praestantius, & laudabilius, cum omnis uirtutis fructus non solum incognitione, sed potissimum in usu, atque actione consistat. Necessaria itaque, & utilis ẽ cognitio haec, sed certe mul

to magis uirtutis actio: quoniā ē finis cognitionis. Sed quoniam, quæ diximus de utilitate huius philosophiæ partis, communia sunt M. Tullio cum reliquis, qui de ea ipsa præcepta literis tradiderunt, uideamus, quid potissimum præter cæteros ipse nobis attulerit: in hac eius philosophia: neque enim caret propria laude. Reliqui itaque philosophi; uel, quia experientia, et eruditione rerum caruissent; uel, quia fortasse perquirendi, & ornandi laborem fugißent, nuda nobis philosophiæ præcepta literis mandarūt, alii sine exēplis, alii sine splendore orationis, alii tanta breuitate, & obscuritate, ut paucis admodum ad eorum penetralia aditus pateret. M. autem Tullius ita hæc omnia illustrauit, & eloquentiæ lumine perspicua, & clarissima reddidit, atque in promptu omnibus exposuit, ut nullus iure esse possit, qui se defendat, ac tueatur, si ad hanc eius philosophiam percipiendam tardior accesserit. In Aristotele habemus quidem ordinem in docendo, & coniunctionem partium in constituenda uniuersa philosophia: nullam tamen sentimus animi concitationem ad uirtutis actiones. exempla ex uirtute perpauca, ea que tam obscura, atque abdita, ut de eo-

rum intelligentia desperandum sit. In Platone ap paret quidem summa eloquentia, uehementes, & peracuti ad uirtutem stimuli, & ad probitatem: sed ordo ille continuus, & methodus in copulandis, & colligandis totius huius philosophiæ partibus maxime omnium requiritur. In M. Tullio nec ordo, nec methodus, nec perspicuitas, nec exempla, nec eloquentiæ uis, nec concitatio animorum ad honestas actiones desideratur; Horumq; omnium, nihil in eo abiectum, nihil humile, nihil mediocre, omnia summa, omnia illustria, omnia grauitate quadam senatoria, & authoritate plena, ut mirandum sit: cum singulis singula & natura, & ars, & fortuna ipsa dederit: huic uni cumulatissime omnia præstitisse. Per libenter ex hoc loco, si id mihi in hac uniuersa philosophiæ huius institutione concederetur, sigillatim conferrem, quae de eadem re per tractauit et Plato, & Aristoteles, & Xenophon, & plerique alij, compararemque libros de finibus cum primo ethicorum Aristotelis, & dialogum de amicitia cum octauo, & nono eorundem ethicorum, & somnium Scipionis cum extrema particula apud Platonem ultimi libri de

republica, ostenderemque, non modo M. Tullium non fuisse his omnibus ulla in parte inferiorem, sed quantum & sententiarum grauitate, & quadam maiestate romana, & uarietate rerum memorabilium, et splendore orationis hos omnes longe a se reliquerit. Sed haec eiusmodi in commodiorem fortasse locum reseruabo. Sed quid tandem dicam, quantum huius huius M. Tullij de hac philosophia libri praeter caeteros conferant ad rectam doctrinae christianae cognitionem adipiscendam, quam nos ipsi profitemur? cum Diuus Augustinus grauissimus authorsibi libenter asserat, eius libri, qui Hortensius, uel de laudibus philosophiae inscribitur, lectionem ad uerum dei cultum suscipiendum plurimum profuisse. Huic itaque praestantissimo philosopho summas, immortalesque gratias, habeamus, et eius scripta sic die, noctuq; praemanibus habeamus, ut nostris quasi auspicijs in lucem omnium proferamus, & in hoc amplissimū omnium scientiarum, praeclarissimarumq; artium domicilium summo cum omnium applausu, quasi ab exilio in patriam restituamus.

D. O. H. E. G.

Benigno Lectori S.

Cum maxime cuperem, Optime Lector, ut ordo librorum, quos M. Tullius de uita, & moribus conscripsit, omnibus esset conspicuus, has, quæ sequuntur, tabulas cum hac nostra institutione coniungendas existimaui, in quibus primo apparet ordo temporum, quo singuli huius philosophiæ libri ab eo scripti, & æditi sunt. Secundo ordo doctrinæ, quo unusquisq; horum librorum in docendo, alijs, aut praeire, aut subsequi debet. Tertio uniuersa haec philosophia clarius, & dilucidius in proprias partes distinguitur, & separatur, ut hinc, quem usum eius omnes partes pollicerentur, & quae eßet harum continuatio, facile omnes colligerent, et tandem ad hæc uolumina præ manibus semper habēda & inuitarentur, et accenderentur. Hoc, qualecunq; sit, benigno animo suscipe, & boni Consule.

Vale.

ORDO LIBRORVM, QVOS M.TVLLIVS de Humana, & Ciuili philosophia diligenter conscripsit, duplex est,

Alter est temporum, quo singuli libri scripti, & editi sunt. Scripti autem sunt hac temporum serie.

Oeconomicus Xenophontis de græco in latinum conuersus, et in tres libros distinctus, editus ab eo est, cum annum ageret suæ ætatis uigesimum tertium.

Libri sex de Republica editi sunt, cum annum ageret quinquagesimum tertium.

Libri de Legibus editi sunt, cum quĩquagesimum sextum.

Laudatio Catonis Vticẽsis edita est, cum annum ageret sexagesimum primum.

Libri de Consolatione editi sunt, cum sexagesimum secundum.

Alter est doctrinæ, & disciplinæ, quo singuli libri indocendo, & discendo gradatim ad faciliorem intelligentiam, tamquam mẽbra in unum aliquod corpus ordinati, & continuati sunt. quo ordine.

Primum locum sibi uendicat Hortensius, uel de Laudibus philosophiæ.

Secundum Academicæ quæstiones.

Tertium quinque libri de Finibus.

Quartum tres de Officijs cum dialogo de Amicitia, de Senectute, & libris de Consolatione.

Quintum libri quinq; Tusculanarum q̃stionum cum paradoxis & cum Catonis laudatione.

Hortensius scriptus est eodem sexagesimo secundo ætatis anno.
Libri quatuor Academicarum quæstionum post Hortensium scripti sunt eodem sexagesimo secundo ætatis anno.
Libri quinque de Finibus scripti sunt post Hortensium, & Academicas quæstiones; eodem tamen sexagesimo secundo ætatis ãno.
Libri quinque Tusculanarum quæstionum editi sunt sexagesimo tertio ætatis anno.
Liber de Senectute scriptus est post Tusculanas, eodem tamẽ ætatis anno 63.
Liber de Amicitia scriptus est post librum de Senectute eodem tamen aetatis anno sexagesimo tertio.
Libri tres de Officiis scripti sunt post libros de Senectute & de amicitia codẽ tamen

Sextum libri de Republica
Septimum libri de Legib.
Octauum libri tres Oeconomicorum.
Hunc ordinem doctrinae copiose probauimus ex M. Tullij uerbis in Uniuersa hac philosophiae humanae & ciuilis institutione.
Qui hos libros in uulgatã seriem redegerunt, non sequuntur hunc doctrinae ordinem. Hoc enim libri de officijs, de amicitia, & de senectute antecedunt libros tusculanarum, de republica, & de legibus tam publicis, quam familiaribus.
Et libri d natura deorum, de diuinatione, & de fato inter hos nullum habent locum: & paradoxa antecedunt libros de republica, et de legibus. Peccant igitur ordine & temporum, & doctrinae. Quare secutos ar=

tamen aetatis anno sexagesimo tertio.

Paradoxa scripta sunt ultima, eodem tamen anno sexagesimo tertio, quod secundo paradoxo in Antonium inuehi uideatur.

Qui hos libros hactenus disposuerunt, hunc ordinem non sequuntur: quia temporum ordine libri de republica & de legibus antecedunt & hortensium, & academicas quaestiones, & libros de finibus, & libros tusculanarum. Grauiter igitur peccant, si ordine temporum hos libros disponere uoluerunt. Hanc temporum seriem, qua hos omnes philosophiae humanae, & ciuilis libros perscripsit M. Tullius, diligentissime obseruauit, & comprobauit Vir Eruditissimus, & maxime in eis uersatus Franciscus Marcoduranus in M. Tullii Ciceronis uita: nosq; omni hoc labore liberauit.

arbitror ordinē, quo eorum partem enumerauit M. Tullius in exordio secundi de diuinatione; qui usq; ad eam diem erant editi.

Quod si omnes tum enumerauisset, cum omnibus ultimam manum imposuisset, aliter certe eos partitus fuisset: cum appareat, libris de officiis postea & ex eorum natura, & ex docendi ratione eum attribuisse locum qui sequeretur statim libros de finibus.

Librorum, quos Marcus Tullius scripsit ad uniuersam humanam, & ciuilem philosophiam constituendam.

Alij continent eas disputationes, quæ solent adhiberi ante legitimam pertractationem ad reddendos beneuolos, & præparandos, animos hominum ad studium philosophiæ, & ab omnibus alijs auocandos.

Alij continent uniuersam legitimam pertractationē ad animos hominum auocatos ab alijs studijs, ad philosophiamq; reuocatos, & iam præparatos, in eius amore, & studio retinēdos. Hæc prima diuisio horum librorum sumpta est ex M. Tullij uerbis in primo de finibus, cum inquit: Quanquam philosophiæ quidem uituperatoribus satis responsum est eo libro, quo à nobis philosophia defensa, & collaudata est, cum esset accusata, & uituperata ab Hortensio, qui liber, cum & tibi probatus uideretur, & ijs, quos ego posse iudicare arbitrarer, plura suscepi, ueritus, ne mouere hominum studia uiderer, retinere non posse.

Eorum librorum, qui continent eas disputationes, quæ adhibitæ sunt ante legitimam pertractationem,

Alter ē ueluti proemium quoddam uniuersæ legitimæ pertractationis: in quo agit de laudibus philosophiæ, qui uocatur Hortensius à persona eius, qui primas partes obtinet in hac disputatione.

Eius porro disputationis,

Altera ps, q̄ coniecta ē in primum librum, continet ea, quæ contra philosophiam dicta, & disputata sunt ab Hortensio.

I

Altera ps, quæ coniecta est in secundum librum, continet ea, quæ pro philosophia allata sunt a M. Tullio, & a Catulo contra Hortensium.

2

Alteri sunt p̄parationes q̄dam ad uniuersam legitimā pertractationē, de genere philosophandi, & argumentandi, quo sibi esset utēdum in pertractatione uniuersæ sequētis philosophiæ. Hi nominantur Academicæ quæstiones.

Academicarum q̄stionum

Prima pars continet modum philosophādi Academicorum in his, quæ pertinēt ad dissērendi rationem.

Secunda pars continet modum philosophandi Academicorum in his, quæ ptinent ad res naturales.

Tertia ps continet modum philosophādi Academicorum in his, q̄ pertinēt ad eā philosophiæ p̄tem, quæ est de uita, & morib

1

Huius primi libri,

Altera ps continet Hortensii accusationẽ contra philosophiam: in qua fortasse dicebat, exterminandos, & mittendos esse in exilium philosophos

Altera ps continet eiusdẽ Hortensii uituperationem contra philosophiam: in qua auocabat omnes ab eius studio ad studium eloquentiae.

2

Huius secundi libri,

Altera ps continet defensionem M. Tullii, & Catuli pro philosophia, in qua respondet accusationi Hortensii.

Altera ps continet collaudationẽ M. Tullii, & Catuli ad extollendam philosophiam, ut animos hominum auocatos a philosophia, reuocaret, eosq; eius amore accenderet, & inflammaret.

Eorum librorum, qui continent uniuersam legitimam pertractationem totius philosophiae humanae, & ciuilis,

Prima pars continet pertractationem de finibus bonorum, & malorum, quae iure caeteris omnibus anteponitur, cum in ea positum sit fundamentum uniuersae philosophiae humanae, & ciuilis, hoc est constitutio, & confirmatio summi boni, quo reliqua omnia referuntur.

Secunda pars posita est in constitutione, & confirmatione omnium officiorum, quae seruata quasi nos manuducunt ad summum illud, & extremum iã definitum, & probatum bonum.

Tertia pars posita est in iis, quae sunt tanquam instrumenta ad introducenda officia in ciuitatem, quibus acquiritur summum illud bonum.

Eius partis Humanæ philosophiæ, quæ est de Finibus bonorum, & malorum,

Prima pars continet sententiam Epicureorum, qui ponebant summum bonum in uoluptate; quæ iure primum locum in hac disputatione sibi uendicat: quod esset maxime communis, et nota, & in omnium animis magis insita, atque infixa.

I

Secunda pars continet sententiam Stoicorum, qui ponebant summum bonum in sola uirtute, Epicureorum sententiæ pænitus contrariam: illi enim totum summum bonum attribuebant corporis; hi totum animo, nihil corpori.

2

Tertia pars continet sententiam Peripateticorum, qui ponebant summum bonum in naturæ humanæ conuenienter uiuẽdo: mediam inter sententiam Epicureorum, & Stoicorum, & ideo in ultimum locum reseruatam. Epicurei enim totum pene summum bonum attribuebãt corpori, Stoici totum animo, Peripatetici partem animo partem corpori. Hæc tota disputatio sub persona Pisonis coniecta est in quintum librum de finibus bonorum, & malorum, eaq́ confirmatur, & constituitur tanquam uerissima, & perfectissima. Cui adhæsit M. Tullius, & super hanc, tanquam super firmissimum fundamentum, constituit reliquam humanam, & ciuilem philosophiam. Hanc horum librorum triplicẽ diuisionem ipse agnoscit libro xiij. Epistolarum ad Atticum.

1

Huius primae partis,

Prima particula, quæ coniecta est in primum librum de finibus, sub persona Torquati continet explicationem, & defensionem sententiæ Epicureorum pro uoluptate.

Secunda particula, quae coniecta est in secundum librum de finibus, sub persona M. Tullij continet reprehensionem sententiæ Epicureorum contra uoluptatem.

2

Huius secundae partis,

Prima particula, quae coniecta est in tertium librum de finibus, sub persona M. Catonis continet explicationem, & defensionem sententiæ Stoicorum pro sola uirtute, summum bonum constituente.

Secunda particula, quae coniecta est in quartum librum de finibus, sub persona eiusdem M. Tullii continet confutationem sententiæ Stoicorum contra Catonis disputationem.

Eius philosophiæ partis, quæ uersatur in Officijs tradendis, quæ nos seruantes, & secundum ea uiuentes, perueniemus ad iam statutum, & confirmatum summum bonum, hoc est ad naturæ humanæ conueniēter uiuendum,

Altera pars continet pertractationē Medii officii. Est autem medium officium, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi potest. unde dicitur & commune, & inchoatum quoddam officium, & non perfectum, caderecą in non sapientem potest; quale esset, si Socrates falso accusatus, & iniuste condemnatus, amicorum persuasionibus commotus e carcere, custode corrupto, aufugisset: eius enim rei probabilem rationem attulisset, falsam accusationem, iniustam condemnationem, & naturæ humanae propensionem ad se ipsam conseruandam. Hæc auti pars & naturæ, & doctrinæ ordine est prior, cum progredi uideatur ab inchoato, & imperfecto officio ad perfectum. imperfectum enim est quasi aditus ad perfectum & quædam præparatio, & progressio.

Altera pars continet pertractationem Perfecti officii. Est autem perfectum officium, quod rectum est: contingitcą soli sapienti, & uiro perfecto. cuiusmodi fuit illud Socratis, qui maluit uitam iniuste amittere, quam uideri legēs patriæ, sub quibus totum uitæ cursum peregerat, negligere. Hæc autem pars & naturæ, & doctrinae ordine est posterior; dignitate tamen prior, & præstantior, & maior, atque utilior.

Eius Diſputationis, quæ continet pertractationem Medij Officij,

Prima pars ſimpliciter eſt de Medio Officio: q̃ tribus libris officiorum continetur.	Secunda pars eſt de Officiis amicorum inter ſe, quæ continetur in eo dialogo, qui inſcribitur Lælius, ſiue de Amicitia.	Tertia pars eſt de Officiis, quæ ſpectant ad commode tolerandam Senectutē, quæ continetur in eo dialogo, qui inſcribitur Cato Maior, uel de Senectute.	Quarta pars eſt de officiis, quæ ſpectant ad tolerandam propinquorum, & ſanguine coniunctorum mortem: quae continetur in eo libro, qui inſcribitur de Conſolatione: in quo ſeipſum M. Tullius de obitu filiæ conſolatus eſt.

Eius Considerationis, quae simpliciter continet disputationem de Medio Officio,

- Prima pars est de Houesto: quæ primo libro officiorum continetur. Huius primi libri,
  - Prima pars est simpliciter đ Honesto.
  - Secunda ps est de comparatione Honesti, hoc est de duobus Honestis, quid Honestius
- Secunda pars est de Vtili: quæ secundo libro officiorum continetur. Huius secundi libri,
  - Prima pars est simpliciter đ Vtili.
  - Secunda pars est de comparatione Vtilitatis, hoc est de duobus Vtilibus, quid Vtilius.
- Tertia pars est de comparatione Vtilitatis, & Honestatis: quae in tertio, & ultimo libro continetur.

Dialogi De Amicitia, Qui & Lælius inſcribitur.

Prima pars ſub perſona Lælij continet, quid ille ſentiat de Amicitia.	Secunda pars continet diſputationem de ortu, & interitu Amicitiæ.	Tertia pars continet officia in Amicitia obſeruanda, & cuſtodienda.

Huius tertiæ partis.

Prima particula docet, quatenus amor progredi in Amicitia debeat.	Secunda particula eſt de conſiliis, & authoritate Amicorum.	Tertia particula eſt de finibus, & terminis Amicitiae.

Dialogi de Senectute, qui & Cato Maior inscribitur,

Primapars continet proemium.	Secunda ps continet propositionem.	Tertia pars continet confutationē, inquā uniuersa fere de Senectute disputatio coniecta est.	Quarta ps continet perorationem.

Huius confutationis.

Prima particula confutat eorum opinionē, qui dicebant, miseram uideri Senectutem, quod nos auocet a rebus gerendis.	Secunda particula confutat eorum opinionē, qui existimabāt, Senectutem reddere corpus infirmum.	Tertia particula confutat eorum opinionem, qui Senectutem spoliabant omnibus uoluptatibus.	Quarta particula confutat eorum opinionem, qui opponebant Senectuti, quod non procul abesset a morte.

Eius Libri, qui inſcribitur Conſolatio, ſeu de Conſolatione,

Prima pars continet deplorationem humanarum miſeriarum, cum nos quaſi luendorum ſcelerum cauſa ĩ hac uita nati uideamur: affirmat tamen M. Tullius omnia leuiſſime eſſe ferenda, cum ijs nos calamitatibus uno mortis ſubſidio liberemur.

Secunda pars continet ſui acerbiſſimi caſus, & doloris, ex obitu filiæ ſuſcepti, Conſolationem multorum clariſſimorum uirorum exemplo.

Tertia pars continet grauiſſimam diſputationem de æternitate animorum, & de filia multorum exemplo inter deos ad immortalitatis famam conſecrãda.

Eius pertractationis, quæ est de Perfecto, & Recto sapientis Officio,

Altera pars continet libros Tusculanarum Quæstionum.	Altera pars continet paradoxa sex Stoicorum.

I

Harum uero,

Primus liber continet disputationem de Contemnenda Morte, siue anima cum corpore moriatur, siue sit immortalis, & æterna.	Secundus liber continet disputationem de Tolerando Dolore.	Tertius liber continet disputationem de Aegritudine Lenienda.	Quartus liber continet disputationem de Reliquis animi perturbationibus, uel finiendis, uel medẽdis.	Quintus liber continet disputationem, Virtutem ad beate uiuẽdum se ipsa contentam esse.

Earum

I

Earum Diſputationum, quae Paradoxa nominantur,

Prima	Secunda	Tertia	Quarta	Quinta	Sexta
Prima eſt: Qđ Honeſtum ſit, id ſolum eſſe bonum.	Secunda eſt: in quo Virtus ſit, ei nihil deeſſe ad beate uiuēdum.	Tertia eſt: Omnia Peccata eſſe paria.	Quarta eſt: omnes ſtultos inſanire.	Quinta eſt: Omnes Sapientes liberos eſſe, & ſtultos omnes ſeruos.	Sexta eſt: Qđ ſolus ſapiens diues.

Catonis Uticenſis Laudatio a M. Tullio conſcripta, ut coniicere potuimus ex eius uerbis in Topicis ad Trebatium, diuiſa eſſe uidetur,

In eam partem, inquam ea facta Catonis M. Tullius contulerat, q̃ Cæſar Catonis fortaſſe eſſe negabat,	In alteram, in quam ea coniecerat M. Tullius, quæ Cæſar diſputabat non recte, ac iure facta;	In tertiam, inquã ea reſeruauerat M. Tullius, quæ Cæſar contendebat uirtutis nomine, & appellatione non eſſe honeſtanda.

Eius tertiae partis, quae posita est in ijs, quae sunt tanquã instrumenta ad introducenda officia tam media, quã perfecta in ciuitatem, quibus acquiritur summum illud, et extremum bonorum omnium iam constitutum in libris de finibus, hoc est, naturae humanae conuenienter uiuere,

Altera ptractatio est de ijs, quae sunt tanquam instrumẽta animata, ut est ea, in qua agit M. Tullius de Optimo rei publicae Statu, & de ordine ipsorum magistratuum: nihil enim aliud est respublica, quã ordo magistratum, in ciuitate institutus ad quietam ciuium, & beatam uitam.

Altera pertractatio ẽ de his, quae sunt tanquam instrumenta inanimata, ut est ea, in qua agit Marcus Tullius de Legibus, a se institutae, & formatae optimae reipublicae.

Legum Institutæ Optimæ Reipublicae,

Aliæ sunt Publicæ, de quibus agitur in libris de legibus, quos ideo non inscripsit M. Tullius de Legibus Publicis, sed tãtummodo de legibus: quoniam, cum leges nullo alio nomine addito dicimus, semper publicas, propter earum dignitatem, intelligimus.

Aliæ sunt Priuatae, & familiares, de quibus agitur in libris Oeconomicorum.

Librorum, quos M. Tullius conscripsit de Optimo Reipublicæ Statu,

Prima	Secun=	Tertia	Quarta	Quinta	Sexta
pars est	da pars	pars est	pars est,	pars est	pars est
de Ciui	est, quæ	de Iusti	in qua e	de Gu=	de Prae
tate,in=	Rempu	tia, &	digres=	bernato	mijs hu
quã &	blicam	Iniusti=	sione ha	ris hu=	ius gu=
officia	deffini=	tia: par	bita re=	ius rei=	bernato
ex uir,	tione cir	tes iniu	diẽs ad	publicæ	ris tum
tute,	cumscri	stitiæ	incœptã	institu=	in hac
& sum	bit, esse	Philo,	de Repu	tione:in	uita,
mum	rem po	iustitiae	blica de	qua con	tum ẽt
bonum	puli,iu=	uero de	finitio=	cludit,	postmor
induce=	ris con=	fenden,	nem, et	ut mari	tẽ. haec
retur,et	sensu,et	das Læ	quaestio	timo gu	autem
ordoma	utilita=	lio susci	nem,re=	bernato	fore ostẽ
gistra==	tis com	piente,	liquas	ri cur,	dit ho=
tuum,	munio=	& re=	eius par	sum se=	norem,
hoc est	ne so,=	sponden	tes perse	cundm,	gloriã,
respubli	ciati, et	te. haec	quitur,	medico	trium=
ca.& le	tunc es=	disputa	magi=-	salutẽ,	phos,sta
ges tum	se uere	tio ex	stra=	impera	tuas,
publicæ,	rempu=	ea occa	tuum,	tori ui=	monu=
tum fa	blicam,	sione	ordines	ctoriã,	menta,
milia==	siue ab	sumpta	disponit	sic huic	& tan
res:opor	uno Re	est, ut	quibus	reipubli	dẽ hac
1	2	3	4	5	6

1

tet enim eē aliqđ medium quod tā quam materia suscipiat et finem summi boni, & inductionem officii & medii, & perfecti, & ordinem magistratuum, hoc est perfectam rei publicæ formā, & leges ei accommodatas

2

ge, siue a paucis optimatibus, siue a populo gereretur, optimamq́ esse rem publicā, quæ ex his trib. generib. regali, optimatum, & populari modice confusa sit.

3

diffinitionis particulam illā declararet, hoc est, populi iure sociati.

4

præcipue eiusmodi optima respublica niteretur.

5

cæ moderatori beatā ciuium uitam eē propositam, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, uirtute honesta sit.

6

uita functum locum in cælo habiturum, ubi sēpiterno æuo ꝑfruatur.

Librorum, quos M. Tullius conscripsit de Legibus Publicis,

Prima pars est de Vniuerso Iure, quod multis rationibus e natura profectum ostendit; quæ coniecta est in primum librum de legibus.	Secunda pars est de Religione, & Sacrificiis constituendis; quæ coniecta est in secundum librum de legibus.	Tertia pars est de Ordinibus Magistratuum; quæ coniecta est in tertium librum de legibus.	Quarta ps est de Iudiciis; q̄ coniecta est in quartum librum de legibus quē integrum desideramus.

Librorum de Re Familiari, quos M. Tullius ad uerbum e Xenophonte desumpsit,

Prima pars est de instituenda domi matre familias; quæ collata est in primum Oeconomicorum librum.

Secunda pars est de patre familias, qualis foris in acquirendo esse deberet; quae collata est in secundum Oeconomicorum librum.

Tertia pars est de agri colendi ratione; quae collata est in tertium Oeconomicorum librum.

FINIS.

Cum Licentia Superiorum.

IN AVTHOREM
Emanuelis Mudatii Nobilis Cretensis
CARMEN.

Non equidem frustra per tot discrimina sospes
Tempus ad hoc Vitam ducis in Hesperia.
Te Deus incolumen uoluit tunc uiuere nobis,
Cum nostris animis optima quæq; feras.
Expromis sed enim, præclara quæ Ethica condunt:
Excolis hinc Animos, assimilasq; Deo.
Et, quocunque uales studio, ditare Mineruæ,
Cultis nos opibus niteris assiduus.
Eximios quoque nunc libros Ciceronis Iason
Digeris, hoc reddens ordine conspicuos.
Tãto pro merito Ausonij Diis thura cremabunt,
Et Cicero posthac iis mage notus erit.

Primus numerus paginam ſignificat.a.priorem faciem, b. a tergo ſecundus numerus uerſum illius paginæ.

Car.3.b.18.animaduertiſſent. & eadem 24.tacite queritur, 4.a.22.mirum admodum dictu eſt.car.9.b.4.perſcriberet?10 a 12.propoſitis eadem 18.præceptio 11.b.4. ſtatuebat eadē 15.propoſita.12.a 6.ratione præditum 14.a. 5. cum inquit eadem 16.de quibus rebus agitur.14.b.17.inquit alloquens M Tullium.16.b.14.parua appendice.17.b.8.republica. 18. a ulti republica,ipſemet ſigni.19.b.19.cumulate.22.b.9. reii cere.24.a.21.poſteriora?27.b.ultima mihi. 28. a penultima poſteaquam 29.b.1.dele ſe 30 a.antepenultima ceperunt 30 b.13.nihiloplus.32.a.5.dele huiuſmodi 32.b.10,aliquo.33.b. 11.ad octo.34.b.10.librorum.35.a.21. euerſionem? 40. b.18. geritur.41.a.8.nitatur.44.a.16.mathematicis.44.b.9. conuenienter.46. a. 15. deleſubiectum 48. a. ultima conuenienter uiuendum.49 b.1.optimæ eadem.7.ex actionibus.51.a.8.ad methodum, ut ſpeciem & penultima meteorologici inſcribuntur.52.a ultima clariſsime.52.b.9 nihil hoc loco eodem 12.in ſuis libris 63.a.prima quoniam eſt fines cum.ſit finis. 54.b.12. affirmandi.55.a.12.de legibus, oeconomicus, aut. 57.b.7.contentioſum.61.b.penultima continenter patiuntur. 63.b. 16. perlibenter hoc loco 64.a.17. gratias agamus hæc autem quæ ſequuntur nomina & uerba ubicunq; fuerint ita emendabis quæſtiones omitto omiſiſſet reprehenſionem Lælius Lyſis phiſicorum panætius diſſoluit diſſoluta dialogi dialogis Tyrrannidem oeconomicus meteorologici abſtrahet edidit & editus pyrronis diffuſam deteereat neceſſariam uériſimilia repræſentatio quencunq; quancunq; quenque exequutus.